Digitized by Google

DE PESTE
ANNI M·DC·XXX·
BONONIAE
Cuius generis fuerit, & an ab aere.

PRÆLECTIO

Andreæ Mariani Philoſophiæ, & Med. Doct.

In Archigymnaſio Bonon. Phil. Lect. ord.



BONONIÆ M.DC.XXXI.

Typis Clementis Ferronij. Superiorum permiſſu.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

EMIN.MO CARD. SPADAE
BONONIÆ LEGATO.

MORBOS Bononiam depopulantes peſtem negabant, vel abſentes increduli, vel qui nuſquam peſtem viderant. Et qua ratione hoc informe monſtrum primo impetu agnoſcerent; qui per centum annos, Dei munere, inter hæc mœnia eius non aſpexerant formam, nedum leue ſimulacrum calamis, & ſtylo ſcriptorum ſuis in folijs affabrè delineatum? Agnouiſti tu, Eminentiſs. Princeps, errantem huius feræ vmbram, dum ad fines noſtros incertis primùm rumoribus, non incerto feritatis veſtigio appareret; eoſq; inueniſti obices, quibus noſtra vrbs ſeruari poterat, ſi rerum cæleſtis ordo fuiſſet, vt ſeruaretur. Verùm ſi, ex Euripide, Iupiter bellum Troiæ intulit, vt turba mortalium, & multitudine leuaret matrem terram, & cognitum redderet Fortiſſimum Græciæ; quis ſcit, an Deus tàm varias Italicæ fortunæ tragœdias nobis in theatrum dederit, vt tu noſtrorum Principum fortiſſimus noſcereris? Tuum. n. eſt, ſi mors integram abſorptura Vrbem, viſa fuerit infimos ſolum vicos acri luſtratione purgaſſe: tuum eſt, ne vlterius per Aemiliam expatiata, lõgo ordine ad ſeptem colles altiùs triumphatura proceſſerit. Debent hoc tibi tot gẽtes, & populi ipſaq; rerum caput Roma; ſi hoc virus lernæo contumacius inter tuas manus expirauit. Grande quidem dediſti poſteris documẽtum, quòd conclamatam peſtis perniciem aſſuetam Heroum vires eludere, tu prior magnanima virtute repreſſam docueris; dum generoſum pectus obijceres, ne latiùs ſerperet, dum præſentia,

& legibus caueres, ne deſerti ſuperſtites languentibus miſti mortua corpora viuis iungerent, & ſociatis cadaueribus cumulata ſtrage conciderent. Tua verò potiſſimùm gloria eſt, ſi tuo exemplo illecti primores Senatorum, & Ciuium auxiliares tecum cadenti Patriæ manus ſuppoſuerunt, ſi religioſiſſimi Sacerdotes, vt morientiũ animis conſulerent, ſuis non pepercere: quippequi Chriſtianæ charitatis ſtimulo præelegerunt, in deplorato deportatorum loco certa morte publicæ ſaluti conſecrari, quàm ſuis in templis cum ſecuritate vota ſoluere pro populi incolumitate concepta. Et quoniam tantos virtutum fulgores obnubilãt, qui luem hanc æquam omnibus à quapiam ſuprema cauſa, vtpotè ab aere, ac proinde ineuitabilem cenſuerunt (nàm quod facinus tam ſpecioſum eſt, ſubire pericula, quæ declinare nequeas, & commorientibus commori; vel in incendio cõmuni ſolitariæ laudis fumum captare, & priuata fama inter confuſos Penatium cineres velle diſtingui?) coactus ſum ego interſectas ventilare nubes conſtituturus, quod genus hoc peſtis fuerit. Opus ſanè arduum, quò dum pleriq; Medicorum non peruenerant, ſe ipſos, & Remp. certo vitæ diſcrimini commiſerunt, cui me pariter expoſuerant, ni tua me ſingularis humanitas, tuo ære redemiſſet. Quare, vt redemptori, me totum tibi voueo, hoc breui opere proditurus in lucẽ, quæ tibi debeat Bononienſis Prouincia à Sanctiſs. Pont. Vrbano ſapienter delegata, quæ cum vndiq; belli, famis, & peſtis ſtrepitu circumſonaret, ſua ſorte, ſua tutelæ exertos habuit tuos tres gentilitios enſes, quos tribus Iouis fulminibus feliciter opponeret. Vale.

Humillimus Cliens

Andreas Mariannus.

De Peſte Anni MDCXXX.

Cuius generis fuerit, & an ab aere.

Prælect.

ANNO trigeſimo ſupra milleſimum, & ſexcenteſimum, anno celebri ob arma Tranſalpinorum in Italiam mota, & Florentiſsimæ Italiæ parti, noſtræq; potiſsimùm Bononiæ ob Peſtem luctuoſo: hoc, inquam, anno, dùm vniuerſę vrbis conclamatio,& fuga eſt, Ampliſsimi vrbis Præſides de annuis huius Archigymnaſij ſtudijs inſtaurandis cogitarunt; quippè qui ſapienter cenſuere,diligenter cauendum,ne ſacratum huius Ciuitatis,& Palladis caput inſtantibus ruinis opprimeretur,ne Bononia Studiorum mater ſuis filijs orba ſederet deſerta, & ſola, facta quaſi vidua domina literarum,& Princeps academiarum. Verum quidem eſt primos tantæ cladis impetus in nos primum impegiſſe, ita vt Medicinę profeſſores, & candidati, vel patriæ charitatis ſuaſu, vel publico decreto, intra peſtilentiæ clauſtra concluſi, apud infirmorum lectos, & puluinaria miſerè conciderint. Viderũt quidem, vt refert Iouius, tempora Adriani Sexti Romæ Græculum quendam Demetrium Spartanum,qui experto graſſantis peſtis remedio ſilueſtrem taurum ſecto altero cornu, inſuſurratis quibuſdam verbis, tenui filo per vrbem protractum, magna populi Romani frequẽtia in Veſpaſiani Amphitheatro reclamantibus Patribus, peſti immolauit. at conſequens poſteritas audiet noſtra in vrbe,plaudẽtibus cũctis,tot humanas victimas, ductis ab vrna ſortibus Laureata Apollinari fronde capita ad ſuſcitatas peſtis aras generosè pro patria deuouiſſe. Quid ergo in tam inſolenti deuaſtantis luis incẽdio poterat amantiſsimus Senatus?quod potuit fecit,meditatus eſt quomodo hoc Palladium, e medijs flammis erueret, annua hæc literarum commercia indixit,vt ſeruaret has quales quales reliquias Troiæ.

Accedimus ergo eruti ex illo chao ad ſolitũ lecturæ opus, accedo & ego identidem reſpiciens ad tempeſtatem vnde euaſi,

neq;

neq; quiſpiam me tãta animi inuulnerabilitate credat, qui non intimè ſenſerim fortunæ ictus, quibus cum cæteris expoſitus ſum, vel Seruatori Deo gratias non agerem.

Et quoniã diuerſa paſsim à varijs ſcriptoribus de hac peſte dubitata ſunt, & ſcripta, & apud acriora ingenia durat adhuc motus, & agitatio prçteritæ tempeſtatis, & vehementer dubitant aliqui an ita ceſſauerit peſtis, vt nullum ſuperſit periculum aperiente ſe nunc verè renouandam, & præcipuè dubitant, qui præteritam peſtem ab aere fuiſſe contendunt, cogor ego, & rogor ab aliquibus ſatisfacere huic quæſito, non inepto, nec infructuoſo videlicet, cuius generis hæc peſtis fuerit, & nunquid ab aere. Rogo Vos date veniam, ſi hodie non agam de anima, vt deberem, ſed de aere: nam penè dixerim, agere de aere, eſſe agere de anima, per textum 82. primi, qui dicit, animam ex toto ingredi reſpirantibus à ventis latam, Et ſi Philoſophia eſt mortis meditatio, quis latior philoſophandi campus, quam peſtis, vbi tota mors eſt? Itaq; breuiter hoc ordine procedam. Primò proponendo aliqua communia de hac peſte. Secundò adducendo rationes, per quas aliqui credũt hanc peſtẽ fuiſſe ab aere. Tertiò ſtatuẽdo de generibus peſtis, & de iſta problemata, & difficultates reſoluendo. Neq; me extendam ad doctrinas, & difficultates, quæ propoſito meo nõ congruunt; multa. n. habẽtur reſoluta ab Hippocrate, & Galeno in libris Epidemiorũ, multa ab Auicenna, Arabib. & practicãtibus de febre peſtilenti, plura apud Modernos, Altimarum, Fracaſtorium, Tridentinum Gallum, Suſium, Gabrielem, Septalium, & præcipuè Mercurialem, & Maſſariam, qui ſcripſerunt de peſte per Lombardiam anni MDLXXV. quã omninò in omnibus ferè ſymptomatibus videre eſt fuiſſe ſimilem huic noſtræ, quamuis neſcio quis ſcripſerit, nunquam ſimilem huic noſtræ fuiſſe viſam. præ cæteris autem punctum, vnde fortaſſe magni viri aberrarunt, attigit Noſter Cardanus in libro de Prouidẽtia ex anni conſtitutione, cuius doctrinam de peſtilentia ad Methodum medendi, & ſolutionem difficultatum efficaciſsimam cognoſcetis.

Quæ.

QVÆ tria in principio ferè cuiuſcunq; peſtis diuulgari ſolent,in hac pariter noſtra ſunt diuulgata. Primū hanc non eſſe peſtem. Secundum repertum hic,& alibi remedium ſanans. Tertium eſſe ab aliquibus ſtudio diſſeminatam. ſed citò euanuerūt omnia. Euanuit hoc tertium, quoniam per diligentiſsimas ſuperiorum vigilias nihil de tali diſſeminatione cōſtitit, & quamuis ipſe interfuerim in aliquorum conuentu, vbi multi aſſerebant ſe vidiſſe (quod in magnis mendacijs ſolet) tales vngentes portas, & vuas in vineis, & obſeruaſſe locū, quò ſe reciperent, cum tamen per illa loca quæſiti ſunt,inuētum eſt has eſſe meras fabulas ruſticorum aſſeuerantium inſuper vuas ex albis in nigras his inunctionibus transformatas. & quamuis ipſe non negauerim medicamentum hoc creans peſtem poſſe componi,& facillimè peſtis tempore,quo vna faſcia infecta ſufficiens eſt vniuerſam inficere Prouinciam, ad nos tamen tales artifices non peruenere,quos apud Inſubres inuentos, & digna morte mulctatos fama retulit. ſecūdum etiam dictum euanuit, quoniam per multorum mortes,& præcipuè præſcribentiū tales ſacculos,pulueres,vnguenta, olea (nam qui Medici primū remediorum formulas ediderunt mortui ſunt, qui in Lazareta ingreſsi cum his ſecretis ferè omnes mortui ſunt) compertum eſt nullum certum remedium dari, & in his morbis tutiorem eſſe cuſtodiam,quam curam,nec repertum eſt medicamentum, quod ſi vni profuit alteri prodeſſet, quod de ſua peſte narrat Theucidides, & Lucretius in *6.*

Nec ratio remedi communis certa dabatur;
Nam quod ali dederat vitales aeris auras
Voluere in ore licere, & cæli templa tueri,
Hoc alijs erat exitio, letumq; parabat.

Vltimo etiam primum euanuit, quia per multas integrarum familiarum ſubitas extinctiones comprobatū eſt,hanc eſſe veram & legitimam peſtem. veras .n. conditiones,& definitionem peſtis impleuit:nam ex Hippocrate, & Galeno,nil aliud eſt peſtis, quam Morbus, communis,perniciofus. eſt morbus, qui non ſe

deter-

determinat ad aliquod genus morbi nec in eadem peſte, nec in diuerſis. non in eadem, quoniam in conſtitutione tertij Epidemiorum verè peſtilēti apparuerunt paraliſes, lethargi, conuulſiones, pleuritides, anginæ, hidropes, tabes. inſuper in diuerſis diuerſorum temporum peſtilentijs diuerſa morborū genera apparuerunt. refert Galenus in 3. De vſu partium, peſtem illā pedes tentaſſe, refert in alia ſublatos eſſe ex ijs, quæ per aluum euacuabātur. tales diſenterias habuit tempore patrum noſtrorum peſtis in exercitu in Vngaria, quod ſi Galenus aliquos curauit exhibitione Boli Armeni, & quidam noſter empiricus Bononienſis, refert ſe curaſſe aliquos anno MDLI. in exercitu Imperiali in Africa fluxu ventris morientes leuiter vomitum proliciendo, & per quatuor horas in aqua ſalſa detinēdo, alia morborum genera ſibi peſtes aſſociarunt, vt videre eſt præſertim in Cathalogo peſtium, quas Doct. Gratiolus in fine ſui tractatus compoſuit. ſecundo eſt morbus communis. non communis, vt ſunt morbi alicui regioni cōmunes, vt elephantiaſis Aegyptijs, Podagra Athenis. non communis alicui ætati, vt variolæ, & morbilli pueris. non communis, vt morbi ſparſi, vt tertianæ æſtate, ſed eſt morbus communis Epidemicus omnes indiſcriminatim potens afficere quamuis alios magis, alios minus. communis etiam quantum ad tempus, aſſerente Hip. de ratione victus in acutis morbos multos vno tempore fieri, quos, ſi perniciosi fuerint, peſtem appellant. addite etiam cōmunis quantum ad locum aſſerente, 3. epidem. quicunq; vno in loco plures ſimul inuaſerit, vulgaris hic vocatur. ſi habeat, vt multos perimat peſtis fit. ergo tertio, peſtis eſt morbus pernitioſus, quia non omnes epidemici morbi ſunt peſtis, ſed qui habēt maiorem partem interficere, vnde ſi ex mille ægris ducenti, aut trecenti pereant (quod annis proximis per febres malignas contigit) non cenſetur peſtis, ſed epidemia. ſi autem ex centū ægris octuaginta, aut nonaginta moriantur, cenſetur peſtis, & hinc patet reſolutio ad quatuor dubia.

Primum, an neceſſariò peſtis arguat febrem, & reſpondetur, peſtem nō ſe determinare ad aliquod genus morbi, & per conſequens poſse dari peſtem, vbi non ſit febris: multi. n. ſunt morbi, qui poſſunt interficere ſine febre, vt conuulſiones lethargi

hidro-

hidropes, dyſenteriæ, qui morbi, ſi interficiant, & ſint communes, erunt peſtis. Verum quidem eſt, ſi febris adſit in peſte, illam fore continuam. & hanc totam concluſionem latè probat Maſſarias.

Alterum dubium, & difficilius eſt, an de neceſſaria conſecutione ad peſtem ſit, vt ſit contagioſa, & negatiuè reſpondetur: quoniam peſtis non ſe determinat ad illos ſolùm morbos, vbi eſt putredo; ſed paſsim omnes complectitur, dummodo ſint communes, & pernicioſi: ſed contagium non reperitur, niſi aut vbi ſumma putredo, aut aliquid ſimile reperitur: ergo poteſt dari peſtis ſine contagio. Hoc autem explicatiùs probabimus in conſtitutione differentiarum peſtis.

Tertiò patet, an benè ſcripſerit quidam ex noſtris has eſſe febres malignas, contagioſas, peſtilentes, non peſtilẽtiales. quia inquit ſunt ſine contagio, & ſine colliquatione; ſed dico ego; ſi ſunt contagioſæ, quomodo ſine contagio? De colliquatione, dico; verum eſſe, Galenum 3. epidemiorum notaſſe in illa peſte fluxũ humoralem, quem vocat colliquationem, & inquit, quòd videtur ſymptoma in perpetuum febris, quam peſtilentem priuatim vocant: id obſeruauit in illa peſte, non conſtituit regulam in omnibus; & dixit videtur; inſuper in aliquibus ex noſtris infectis apparuit talis colliquatio; inſuper fluxus humoralis, vt ad cutim per exanthemata, ad glandulas, & emunctoria per carbunculos, & bubones eſt colliquatio, per Galenum in libro de Atrabile; inſuper obſeruat Cardanus, & nos obſeruauimus in febre verè peſtilenti, valdeq; peſtifera nihil excerni præter vaporem, quia ſolus calor peſtilens aliquando non eſt tantæ vehementiæ, vt poſsit colliquare. an autem colliquatio procedat ratione febris accenſæ in ichoribus coniunctæ cũ peſtilenti, non diſputo.

Quartò non mihi facit difficultatem legere Galenum dicentem, quòd colliquatio, vel citra peſtem mortales corripiat: hoc enim quotidie vidimus, nec facit dubium legere, quod febris citra peſtem mortales corripiat, hoc .n. conſuetum eſt. ſed faceret dubium, quod febris peſtilens, vel citra peſtem mortales corripiat, niſi ſe explicaret Galenus de febre, quæ eſt ſimilis, & iam ferè eadem cum febre in peſte apparente, quæ vel citra

Digitized by Google

peſtem mortales corripit, quam priuatim .i. aliqui peſtilentem vocant; & ſic nominantur febres malignæ nomine febrium peſtilentium, etiam vbi nullum peſtis eſt indicium. Nec aliud (pro nűc) notiùs diſcrimen eſt inter febres vocatas peſtilentes, quando non eſt peſtis, & febres peſtilentes, quando peſtis eſt, quam quia quando non eſt peſtis pauci pereunt, quia morbus perniciofus non eſt communis. ſed quando peſtis eſt, multi pereunt, quia morbus perniciofus eſt etiam communis, ex quo patet multiplicata morte, quod non fit niſi proceſſu temporis, cognoſci euidenter, an peſtis ſit. ex quo apparet cauſa, cur frequenter ſummi Medici peſtes in principio non cognouerint, quia in principio cognoſcere eſt præcognoſcere, & tunc talis cognitio debet adminiculari, vel ex præcognitione cauſarum, quod eſt difficile, & anceps; vel ex obſeruatione ſymptomatum ad ſpecies diuerſas peſtis cõſequẽtium, vt in noſtra peſtilẽtia ex carbonibus, ex bubonibus, ex contagio, & morte celeri, quæ ſymptomata ſunt fallacia, quia in alijs etiam morbis citra peſtem ſparſim obſeruantur, & in duobus, & tribus ſubiectis in principio obſeruare rarum eſt.

Obſeruatio de peſte incipiente, & loco bubonum.

DO laudem Excellenti viro Doctori Sacco, cui cum obuius eſſem ad principium menſis Maij, & dicerem: ſtantibus his rumoribus de peſte apud vicinos, mihi non placere mortem illius Sacerdotis Reuer. Patrũ de Galleria, qui vltima die Aprilis captus febre, inter ſpatium viginti quatuor horarum extinctus eſt, cum eruptione ſanguinis, exanthematum, & parotidis, quod apud me, vt tunc publicè retuli, erat certiſsimum ſignum exquiſitæ putredinis, & per conſequens peſtilentis, tam citò irritantis naturam ad expulſionem, & occidentis. Et quamuis Medici tunc aliter ad ſanitatis præfectos retulerint, tamen in proceſſu temporis apparuit, illam fuiſſe peſtem, nam qui ſacramenta ipſi miniſtrauit, poſt octo dies mortuus eſt, & rurſus, qui miniſtrauit ſacramenta alteri, & diffuſum eſt contagiũ per vniuerſam familiam, & eſt clauſa domus decreto publico. tunc tamen

men cum res adhuc erat incerta, Reſpondit mihi ſagax Doctor, & ego hoc pro certo habeo, & iam ſunt multi dies, quando obſeruaui tumorem peſtilentem in inguine illius nobilis habitantis ad Sanctum Dominicum, qui morte repentina ſublatus eſt, & in ſectione illius tumoris exiuit bilis porracea, & giluæ. Do laudem Excellenti viro vita defuncto, qui ad inſtar Caſſandræ tales caſus canebat non creditus. ſed non credo illum nobilem mortuum peſte, nam ſciebam per multos menſes tales tumores gallicos in inguinibus geſsiſſe, quos dū intendebat maturare, ludebat pila, poſtea largo potu calorem ſedabat; quod fuit in cauſa mortis repentinæ. inſuper nō audiuimus aliquem ex miniſtrantibus ipſi, aut ſecantibus cadauer peſte correptum; quod poſtea in multis alijs accidit. inſuper non eſt ſignum peſtis, ſi materia viridis, aut gilua è tumoribus exeat. nam vidimus omnes in bubonibus peſtiferis, quamuis ſcarificationibus, cucurbitulis, hirudinibus tentaretur extractio, & euacuatio, nihil tamen primis diebus excerni, præter ſincerum ſanguinem, quod ſi procedente tempore materia purulenta apparebat, ſignum aliquod erat futuræ ſanitatis.

Obſeruo vltimo, tumores ad inguina ad ſolitum emunctorium apparentes, non eſſe certum ſignum peſtis, quia tumores peſtilētes, vt in pluribus, apparent infra inguina ſpacio trium, aut quatuor digitorum, in loco propriè, in quo pingitur Antrax ad Sanctum Roccum; quod habet ſuam cauſam, quam ab alijs non legi obſeruatam. Ibi .n. veniunt hi tumores, vbi eſt ductus vaſis magni, magnæ illius venæ Illiacæ, & ibi ſunt aliquæ glandulæ paruæ tanquam puluinaria ſub illa vena, quas mihi in ſectione anatomica indicauit Dominus Ioannes Vidrerus amicus meus, & iſtæ glandulæ turgeſcentes pariunt dolores maximos; turgeſcunt autem in peſte, vt in hac noſtra, quoniam cum ſit ex ſumma putredine in tota maſſa ſanguinea, natura non poteſt tranſmittere partem putridam ad emunctoria ſolita deſtinata ad icores, & partem putridam ſeparatam recipiendam, ſed tota maſſa ſanguinis putrefacta irritante natura erumpit ex venis magnis in illas glandulas; ſtant .n. hæ glandulæ ad valuulas, quas obſeruauit Aquapendens, & non

eſt ſignum ſeparationis, eſt.n. ferè ſemper motus ſymptomaticus, in quo natura ſuperatur, non ſuperat. quod ſi ſuperet, & ſeparet, veniunt tumores ad ſuppurationem, & expurgantur. Idem obſeruandũ eſt de tumoribus peſtilentibus circa collum, nam apparuerunt ad inferiorem partem colli, vbi venæ iugulares diuaricantur, non autem poſt aures, vbi parodites, tumores gallici, & ſtrumæ ſolent apparere, & hoc per cauſam ſuperiori proportionalem. Quod de bubonibus dico, non intelligo de carbonibus, quoniam carbones apparuerunt in quacunq; corporis parte, ſecũdum impetum naturæ validioris aliquando cum ſalute ſeparantis.

Ergo non errarunt noſtri Magiſtratus inualeſcentes morbos cenſendo peſtem, & contagij nomine vocando, populus autem errare poterat iudicando cõtagium eſſe leue genus peſtis, quod peſsimum eſſe cum Cardano probabimus, quamuis Superiorum cura fuerit tam leue, vt ſolum ſextam circiter partem Ciuium extinxerit. fuit ergo peſtis in omnibus ferè eadem cũ peſte anni MDLXXV. per Venetas Vrbes, & Lombardiam vagantis, quæ Bononiam nõ peruenit. fuit ſimilis in febribus, in contagio, in modo inuaſionis, in periodis mali, in bubonibus, & carbũculis, in delirijs, in vultus horribilitate, in morte. Quod ſi in illa doctiſsimi Mercurialis, & Capiuacius ad Senatum Venetum in principio adducti reſoluerunt, morbos illos eſſe cura ſanabiles, nec eſſe peſtem, idem de hac noſtra quidam ad Principes noſtros retulerunt. ſed illi citò mutata ſententia cum pudore fugerunt, noſtri autem viſitando ægros pœnas vita ſoluerunt, & quod magis eſt, ſuaſerunt Magiſtratui, vt Medicos in Lazareta intruderet. fuerunt autem etiam ſagaciores ex noſtris, qui illam primo impetu agnouerunt, & fuit Excell. Pelinus, qui conſilium, & auri ſummam primis diebus pro Lazareto erogauit, docuitq; Bononienſes Medicos nec doctrina, nec charitate in patriam ab alijs ſuperari. Quod ſi tandem illi Patauini acriter contendebant, an illa peſtis eſſet ab aere, idem de hac noſtra multi dubitarunt, ita vt aliqui ſcripſerint, hanc non fuiſſe peſtem, quia non erat ab aere; alij, quia peſtis erat, ideo fuiſſe ab aere dixerint, quorum neutrum verum eſſe probabo.

Quod

Quod Peſtis hæc ab aere fuerit Arg.

PRimò probatur ex conſtitutione præcedenti.nam finis anni MDCXXIX. fuit aeris temperie nobis inſolita;fuit.n. illa hiems fere ſine frigore, cui ſucceſſit ver Auſtrinum, & ſimilis æſtas: ſed tales conſtitutiones ab Hippocrate libro de aere, & aquis, & ſectione 3. Aphoriſmorum, & in Epidemijs, ibiq; à Galeno veniunt in Argumentum peſtis ex aere, ergo fuit ex aere; & merito quoniam receſſus à naturali ſtatu, eſt cauſa morborum, & notat Cardanus in libro de Prouidentia ex anni conſtitutione Hippocratem, non ſolum probabiliter, ſed & neceſſario concludere ex hieme, aere, & æſtate ad calidum, & humidum intemperatis, in autumno magnam futuram peſtilentiam ex hieme, & vere intemperatis, peſtem in æſtate, ex hieme intemperata, ver morboſum, & Galenus 1. de temperamentis cap. 4. notat ſi intemperamentum calidum, & humidū totū annum detineat fieri magnam peſtilentiā, ſi vero partem fieri minorē.

Secundò ſumitur Argumentum è principio, augmento, ſtatu, & decremento peſtis, quæ concomitata eſt mutationes aeris ergo ab aere. probatur. nā cœpit hic Bononiæ in fine Aprilis; habuit augmentū, & ſtatū in æſtate; in autumno declinauit, inhieme ... incta eſt. tales periodos habuit illa de anno MDLXXV. vt refert de ſua Vicentiæ Maſſarias. & fere omnes vrbes Lombardiæ, vt Parma, Cremona, Mantua, Verona, quando Bononia maxime affligebatur, ijs menſibus maxime laborabant, & ceſſante hic peſte, alibi etiam ceſſauit, & quis neſcit ſummam putredinem eſſe cauſam ſimilis peſtis, & putrediné ab ambiente calido effici, & ad variationem aeris, morbos ab aere variationem ſumere?

Tertiò, probatur à via, per quam peſtis ad nos peruenit primum .n. cæpit apparere in agro Bononienſi ad fines Mutinæ, poſſet credere aliquis ob nouas ſuffuſiones terræ, & aquas ibi erumpentes, vel probabilius è Parma infecta ventos illuc primum detuliſſe vapores peſtiferos, ex illa .n. parte Zefiri ad nos veniunt, & vergentes ad ſeptemtrionem venti aquilonares ſoliti noſtrum aerem per flare, & expurgare, quomodo id præſtare po-

re poterant, cũ potius poſſent ferre vapores peſtiferos, vel ortos ex conſtitutione aggerum in oppugnatione Mantuæ, vel ex cadaueribus inſepultis, vel ex peſte militibus, & obſidionibus familiari; inſuper loca ad Septentrionem nobis ſita per annos anteriores paſſa ſint inundationes ex pado, vnde auctæ aquæ ſtagnantes. & ſuper noſtros agros altis aggeribus valles ſuſtentãtur ab incolis paduſæ inferioribus.modo vapores exhalantur apti aerem inficere, ex Hippocrate libro de Aere, & Aquis ergo.

Quarto, patet per influxus cæleſtes, quia certũ eſt mundum inferiorem ſuperioribus lationibus eſſe continuum, vt omnis eius virtus inde gubernetur. id autem an per occultas an manifeſtas qualitas fiat nihil refert. ſatis eſt iam diù per prædictiones Aſtrologicas, & coniunctiones id nunciatum, & præcipuè per illam magnam in Leone, cuius effectus etiam durant, ex qua Cardanus lib. 1. de venenis cap. 9. ait cæterum acutiores fient impoſterum, quam iam ducentis annis, quoniam magna coniunctio ignea ſigna peragratur: & præcipuè anno elapſo obſeruata eſt eclipſis, in cuius erecta figura Saturnus, in angulo orientis male ſitus peſtem portendebat. peſtem autem èluminarium eclipſi deſumi in ſecũdo Quadripartiti Ptolomeus teſtatur: nec defuerunt inſignes Mathematici idẽ ex alijs aſpectibus prædicentes, & certum eſt in ſingulo, quoq; primo quadrante Lunę de Menſe Iunij, Iulij, Auguſti, Septembris, morbos inualuiſſe, plures infirmatos, & mortuos, quam alijs diebus, ſigno euidenti dependẽtiam morbi à ſuperioribus viribus, quæ cum nobis non niſi per aerem, etiam Ptolomeo teſte participentur, ergo ab aere.

Quintò, per morbos annorum præcedentium compertum eſt naturam paulatim diſponi ad peſtilentiam. Nam febres malignæ, cum maculis per annos antecedentes interfecerunt multos, quod genus febrium mihi ante viginti annos, cum ſenioribus Medicis in praxi, nuſquam videre contigit, ex quo tempore tales febres tã frequẽter diuagari cæperũt, vt proximis ſuperioribus annis, & hic Bononiæ, & Mantuæ, vbi ego eram, in modum magnæ Epidemiæ ſæuierint, quod fuit ſignũ naturam diſponi quaſi per gradus ad ſummam putredinem, cum nõ ſo-

leat pro-

it progredi ad extrema niſi per media. imo in relatione in
incipio huius peſtis facta à Medicis, qui primò viſitarunt
ros ad Caſtrum Francũ (& relatio eſt apud me manuſcripta).
eſtabātur illi Medici illas eſſe febres malignas, & illos tumo-
nō eſſe peſtiferos, quia Chirurgi, & barbitonſores illius loci
labantur ſe tales tumores annis elapſis ſæpe curaſſe, citra vl-
n peſtis, & Contagij ſuſpicionem; & ego tribus ab hinc annis
quodam Bernardino in via Fondatiæ, vidi poſt febrem mali-
am apparuiſſe in fine ſpinę dorſi tumorem magnum nigrum
ſpeciem Carbonis, quo apparente mortuus eſt, & nullus ex
igna paupere familia in eodem lecto dormiēte extinctus eſt,
t infirmatus. argumento naturam his Carbonibus ſpurijs ve-
peſti præluſiſſe. immo hoc anno graſſante peſte, obſeruaui in
quibus tumores ad emunctoria alarum, & inguinum citra vl-
n peſtis ſuſpicionem, qui ſponte euanuerunt, vnde apparuit
mmunem motum naturæ habuiſſe ſuos effectus quales quales
tuit, & ſi non potuit peſtem creare ob ineptitudinem ſubie-
rum, & materiæ, aliquid tamen conata eſt. vnde Appollo-
is, vt eſt apud Philoſtratum hoc argumento peſtem Epheſijs
dixit, quoniā ipſe qui erat temperatus in morbum dilabe-
tur certo ſigno influxũ cōmunem, qui cauſauit in corpore ſa-
morbum, in impuris populariter cauſaturum peſtilentiam.
dite hoc anno febres malignas nō obſeruatas. ergo degene-
unt in peſtem.

Sextò, Arguitur aer ex particularibus locis Bononiæ, vbi cę-
peſtis, & vbi maximè deſæuit, cæpit. n. in parte vrbis ad mę-
a verſus auſtrum, in via Sauonellę, & ſtratæ Caſtilionis, &
aximam ſtragem in Maſcharella patrauit; quis neſcit in via
uonellæ radios ſolis ob vicinitatem mōtium acriùs reflecti?
n ne via patet ad auſtrum? &, ſi progreſſa eſt per parochiam
Blaſij, quis neſcit illam partem verſus orientem eſſe plenam
rtis ſuburbanis, qui æſtate aqua Sapinæ irrigantur, & per
nſequens ob genitos vapores aer eſt non ſanus? & ſi deſæuit
Maſcharella, quis neſcit illam partem vrbis eſſe humidiſſi-
m, quippequæ eſt receptaculũ noſtrarũ aquarum, & ibi raro
llæ vinariæ ſub terra altius excitãtur, & fętor putridus cana-
& loca vbi canabis, & lina macerãtur corrumpunt aerem

ex Hippocrate, quod confirmatur per dicta à Cardano, quod aer Bononienſis ſit craſſus, tum ob ſolum bituminoſum, tũ quia aquæ puteorum prauę ſunt, & exhalatio corrumpit aerem, nec aqua Reni eſt ſalutaris ex Plinio lib. 16.

Septimò, Apparuit illud diuinum, quod ſcribit Hippocrates, quod nõ niſi per aerem communicatur. apparuit diuinum, ſic ad ſupplicationes, & vota populus confugit apparuit multos correptos peſte, qui creduntur nullum cum infectis, aut infecta re commercium habuiſſe, vt de aliquibus intra clauſtra, & monaſteria clauſis. patuit etiam ex multis locis in editis præcipuè montibus bene ſeruatis, quò peſtis nullo aſportante penetrauit; patuit fuiſſe ab aere, quia ſine vllo contactu, per ſimplicem ingreſſum in locum, vbi infirmi tales degebãt, aliqui mortui ſunt, ergo per ſimplicem hauſtum aeris, qui aeris communis hau ſtus fuit in cauſa, vt tres, vel quatuor aliquo die (quos ego vidi priuſquam me ius reciperem) repentina morte per vias ambulantes concidere; patet etiam, non fuiſſe contagium, quia multi veſpillones, Chirurgi aſſidue per multos mẽſes contractauere bubones, carbones, cadauera, nec mortui ſunt; multi infirmi, ingreſſi Lazareta, cum ijsdem veſtibus, ibi ſteterunt infirmi, cum iſdem conualuere, & cum ijsdem vidimus eos per vrbem impune verſari, ergo non à contagio, ergo ab alia cauſa, vt puta ab aere; quia ſi fuiſſet contagium, ſufficiens erat rurſus vnus calceus peſtem reproducere, non .n. vt inquit Seneca, refert ignis, quam magnus, ſed quo incidat. ſi .n. fuiſſet contagium inſtat, & benè Doctor Ferrariæ ſcribens, opus fuiſſet, vt per ordinem aliquem procederet, vt .ſ. infecto vno ſubſequens inficeretur, ſed multos vicos, multas domos, multas vrbes infectas ſcimus, & vicinæ, & proximiores, non infectæ ſunt, ergo non fuit contagium. patuit de Ferraria, & Rauẽna, quæ infectis vrbibus proximis, vt Romandiola inferiori, ſtatu Mutinenſi, Bononienſi, Mantuano, Veneto, quaſi in medio illeſæ remanſerunt, & hoc eſt rationabile; quoniã ſcribit Auicennas, ſi in peſte aliquis aerem mutare velit, mutatio fiat ad aquorum ſolum, & cęlum craſſum, cũ aeris vitium morbo cauſam dederit, nam is aer tutior eſt ob denſitatem, & frigiditatem, ergo illę vrbes ſeruatæ ſunt ob aerem, nos per aerem laborauimus, ergo ab aere.

Octa-

Octauò, Probatur à qualitate morborum; pauci .n. euadebãt
i principio; in ſtatu morbi pauciſſimi: ita vt ex viginti qua-
tor Medicis infirmatis, quos omnes noră, vix vnus ſeruatus fit
octor Lanzonus, & ex centum fæminis è mendicantium lo-
o ad Lazaretum vna vice miſsis, referant nullam ſanatam. In
ne autem mali aliqui euaſerunt, ſigno certo, influxum peſti-
ntem augeri, ſtare, ceſſare; ſi .n. fuiſſet contagium, vt paſsim
editur, debuiſſet potius in fine creſcere, & demonſtratio eſt ex
ardano lib. de venenis. Nam cum contagium ſit ex putredi-
, quod putreſcit externo calore incaleſcit, & calor rarum fa-
t, & ex raritate fit motus; motus autem naturalis ſemper au-
etur; vt patet in igne non ſubtracto pabulo, ergo ſi vna res in-
cta poterat inficere duas, & tres; tres poterãt inficere ſex, & ſic
e cęteris, & per conſequens contagium in fine non perdidiſſet
res ſuas. Sed aparuit in fine morbos mitiores fieri, & paucio-
s infici, ergo ab alia cauſa quam à contagio, ergo ab aere. Nec
t dicendum, hoc fuiſſe ob inuentam curam à Medicis, quia in
ne pauciores erãt Medici curantes, quam in principio, & ali-
ui à Chirurgis temerè curantibus ſaluabantur; multi inter be-
curantes peribant; multi, vt ruſtici nullo curãte euadebant;
go.

Nonò, Hæc peſtis fuit admodum mitis, ergo fuit ab aere;
uod .n. fuerit mitis patet. Nam certus numerus mortuorum
on ſcitur, tamen communiter per computum relatorum cre-
itur, ex habitantibus Bononiæ ſextam circiter partem obijſſe,
iqui credunt vndecim millia, alij tredecim. Ex agro Bono-
enſi alij dicunt xx. milla, alij plures, aut pauciores, litigant.
o pręciſe ſcire parum curo. Imo alij ſcripſerunt hanc non
iſſe peſtem, quia magna pars infirmorum è *Lazaretis* exiuit
ata, ergo vel non fuit peſtis, aut fuit mitiſsima. Quod autem
ſtis mitis arguat aerẽ patet, quia corpus aeris eſt admodum
nue, & fluxile, & per conſequens ſummam putredinem con-
ere nequit. Inſuper cum infectio aeris ſit facile communi-
bilis per continuationem aeris ad aerem, & per motum
ælo, & ventis communicatum; ſi eſſet etiam ſummè pernicio-
poſſet cito genus omne viuẽtium in aere extinguere, quod vi-
tur prouidentiæ vniuerſi repugnare, & talis forte peſtis nuſ-

Digitized by Google

quam viſa eſt: ab aere autem corrupto vniuerſaliter erit parum pernicioſa. Et talis fortaſſe fuit illa temporibus Antonini per quindecim annos totum terrarum orbem peruagata; quæ paruam hominum partem extinxit, quod non fecerunt aliæ operantes per contagium, & vix alibi homines in ſemen relinquentes. Immò hæc etiam noſtra audita eſt primùm in inſulis ſeptentrionalibus, per Germaniam, Belgium, & Galliam, ad nos perueniſſe, & hinc forte aliqui ex noſtris rationabiliter, & ingenioſè diſcurrebant. Cum hæc noſtra peſtis quintam, aut ſextam, aut ſeptimam hominum partem extinxerit, conſtituendum eſſe pariter quintam, ſextam, aut ſeptimam partem aeris corruptione laborantem, vt pai cauſa ſuo effectui proportionaliter reſponderet.

Decimò, Quæritur, quando in fine veris pauci, cum carbonibus morìebantur; an eſſet peſtis. Non poteſt dici fuiſſe peſtem, quia repugnat definitioni peſtis, quæ eſt, vt ſit morbus communis, & vniuerſalis, & quomodo tūc poteſt eſſe morbus communis, quando duos, aut tres ſolum capit? nec eſt dicendum, cauſam communem fuiſſe contagium, quoniam contagium æque ſeruabatur inter vnum, & duos, ac centum, & centū, nec vis contagij per extenſionem aucta eſt in ſui natura intrinſeca. Ergo tunc in principio expectanda erat alia cauſa, vt morbus non communis fieret communis, & vniuerſalis, ergo aer. Simili modo arguebat philoſophus vltimo cap. 2. de generatione, illa quæ erant per accidens reducendo ad aliquam cauſam per ſe: Non .n. neceſſe eſt ſi pater generatus eſt, te generatum eſſe; ſed ſi tu, illum. Vnde cum in rectum arguere ſit arguere per accidens, reſoluenda eſt omnis neceſsitas vniuerſalis in cauſam ſuperiorem vniuerſalem, .ſ. in motum cæli, qui eſt vera cauſa vniuerſalis inferiorum, nec .n. ſemina haberent perenniter propagare generationem, niſi à cælo regerentur, quia poteſt ſingulum quodq; ſemen impediri à generatione, eſt .n. ordo per accidens, ergo debebant habere cauſam communem continuantem generationis. Et hoc peſsimum ſemen contagij, niſi foueatur à cælo, non poterit fieri commune, & vniuerſalizari ergo aliquid præter contagium requiritur. Nec putet aliquis hoc in corruptione non eſſe neceſſarium, nam rectè dicebat

Auer.

ſtet. 6. met. com. 7. corruptionem eſſe de neceſsitate, non ſic ;eneratio. Immo quidam celebris declamator in Senatu Ve- eto, de peſte anni MDLXXV. aſſerebat, non eſſe ſufficiens, vt rbs ſeruaretur à peſte contagioſa, vt Paulus, Martinus, & ſingu- i particulares bene valerent, ſed ad vniuerſale reſpiciendum, c modernus ſcriptor inquit, à contagio rei, & fomitis nõ diſ; eminari, & fieri peſtem vniuerſalem, & communem, niſi alte- a accedente cauſa. Alias Germania, & Gallia, ſemper eſſent nfectæ, quia ibi frequenter tale contagium creatur, ſed cito tiam extinguitur illis in partibus, vbi oriundum eſt.

Vndecimò, Probatur ab aere, quoniam ad principium huius iemis quando peſtis hic Bononiæ finiri cæpit; trans alpes, vt lorentiæ, & Lucæ vſq; ad illud tempus intactę cæpit deſæuire. Quia .ſ. cum Bononia ſita ſit ad radices Apẽnini ita pendula, d ſeptentrionem, vt à coſtis montiũ defendatur ab auſtro, fit, t facile aer à ventis ſeptentrionalibus frigidis, & ſiccis purifi- ari potuerit. Sed Hetruria, vt Luca, quoniam expoſita eſt ad pertũ Auſtrum, vt patet per Hiemes illis regionibus clemen- es, fit vt impeditis Aquilonaribus, liberi auſtri ab alpibus refle- i, ſuper illas terras potuerint allicere peſtem, aut excitare, aut x alijs regionibus infectionem attrahere. Auſter.n. ſua calidi- ate humida peſtes attrahit, & generat, & Varro inſulam libe- auit claudendo feneſtras ad auſtrum, & aperiendo quæ ad ſe- ptentrionem, & Empedocles montium fiſſuras claudẽdo, quod ationabilem incuſsit timorem Romanis, ne hiemis frigiditas ſufficiens ſit extinguere in aere ſemina peſtis, quin per pennas entorum huc illuc diuagata Romam tenderet.

Duodecimò, Argumentum, quod eſt Achilles antiquus hu- ius opinionis tale eſt. Peſtis eſt morbus communis, ergo à cauſa communi, communis cauſa aptior aſsignari nequit quam aer, ergo ab aere. Huiuſmodi argumentũ Hippocratis tantum apud ſcriptores valuit, inquit Mercurialis, vt neminem ferè inuenire liceat, qui non putarit veram peſtem fieri ab aere. Imo ſuam ſententiam proferens, inquit, Antiquos parum, aut nihil me- miniſſe contagij, quia non aliud agnouerunt, quam per aerem, nec eſt aliud contagium, quam ex aere. Et quamuis (id vrgen- te rei veritate) videatur aliquid contagium admittere, illud ſo-

Digitized by Google

ſum inſufficiens iudicat ad peſtem cauſandam. Cuius opinioni innixa maior pars ſcribentium peſtem negat, quæ non ſit ab aere, & quidam vltimo ingenioſe ſcripſit, corpus peſtilens euaporans vapores peſtiferos in aerem, & alia ſic inficiens, & interficiens id ratione peſtis præſtare: ſi autem corpus peſtilens immediate corpus ſanum tangat, & illud inficiat, & interficiat, id non eſſe ratione peſtis, ſed ratione veneni.

Quatuor eſſe Peſtis Genera.

SEd nimium vos moror: nimium .n. cognitum eſt, peſtem hanc noſtram ex contagio fuiſſe. Cauſa autem Quòd ſit contagium, omnibus Medicis incognitũ eſt (inquit Cardanus) quod cum duplex ſit, præſentes Medici, qui vnum tantum genus, quod conſuetudine contrahitur norunt, quod ex aere non ſciunt: Antiqui contrà, quod ex aere contrahebatur cognoſcebant, quod conſuetudine, ignorabant. Quatuor ergo, ſtatuit ipſe, ſunt peſtis genera.

Primum, quod ſit ex alteratione, & corruptione aeris, vel aquarum, & eſt leuiter contagioſum.

Secundum, quod ſit ab exhalationibus aeri miſtis, ab inſepultis cadaueribus, ſerpentibus, vel locuſtis, & eſt maxime contagioſum ab aere peſsimè alterato corrupto, aut putreſcente.

Tertium, quod fit conſuetudine, & contactu, & eſt bubonia peſtis, quæ eſt cum vltima putredine, & eſt peſsimum genus contagij.

Quartum, quod fit ex cibis, præcipuè in fame, & ſi comedantur valdè putrida, facile tranſit in buboniam peſtem. Ego hæc quatuor peſtis genera inter ſe ſeiuncta oſtendam, vt hinc appareat differẽtia huius peſtis noſtræ ab alijs, & Methodus medendi aliquatenus innoteſcat.

Digitized by Google

QVantum ad primum genus, nomine aeris intelligo pariter aquam, intelligerem etiam Cælũ,& Terram. Sed cælum non niſi per aerem agit,& terra difficulter prer ſe poteſt eſſe cauſa putredinis,niſi forte quatenus fructus, animalia, & exhalationes peſtiſe- s poteſt creare. Per ſe autem cum ſit frigida, & ſicca putre- ni repugnat, & cum ſit immobilis, non ſit cauſa communis, eſto, quòd circulariter moueretur, vna pars terræ alteri non propinquaret, vnde terra hinc diſtans nihil communicaret ic. ~~Aer~~ etiam quamuis corrumpi poſsit, & morbos creare cundum Hip. libro de aere, & aquis, non videtur tamen ſum- im putredinem concipere, quia & frigiditas, ~~& ſiccitas~~ con- turalis repugnat,& humida exhalant, & non perfecte putre- unt. Nam contrahunt humida, mucorem, & ſitum, quod eſt ie genus putredinis; in fundo autẽ vaſis generantur vermes; opter miſcellam ſicci cum humido. Aqua tamen creat mor- os communes vtentibus ipſa, vel ob cruditatem,vel ob putre- inem, vel ob facultatem lapidificam,vel ob malas qualitates, aquæ multorum fontium,vel vniuerſaliùs ob malos vapores rem inficiendo.

Aqua

Aer autem, qui noſtrorum perſpirabile corpus ambit, & qui r os, & nares ad cerebrum,& cor continuo trahitur,aptior eſt l morbos communes procreandos; vel ergo cauſat morbos, uatenus immaterialiter alteratur ab influxibus cæleſtibus ob arias radiorum ſectiones, & lumina, & motus; vel quatenus d varias intẽperies materialiter diſponitur, puta ad frigidita- m, humiditatem, ſiccitatem. Nam quælibet qualitas nimium ccedens eſt inimica naturæ, & per conſequens potens eſt mor- os, & peſtem facere; Sic Ammianus, Marcellinus lib. 19. ex uacunq; intemperie excedente peſtem creari poſſe conſenſu mnium Doctorum aſſeruit. Sic quandam peſtem Romę, Liuius b ſiccitatem memorat, quandoq; ob frigiditatem. Sæpe ta- nen ob caliditatem, inquit Philoſophus, quando ſol ob cali- itatem multos vapores attrahit, atque humida conſtitutio fficitur.

Quæ

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Quælibet autem ex dictis conſtitutionibus aut ſimplicibus; aut compoſitis peſtem creat, aut per ſe corrumpendo, vel putrefaciendo, aut per accidens. Hoc dico, quia frigiditas quidem per ſe corrumpere poteſt infrigidando, per accidens autem putredinem cauſando .ſ. conſtipando, & obſtruendo; vnde calor mixti non perſpiratus marceſcit. Quod ſi contingat morbos communes, & perniciosos creari, dum aer alteratus, eſt per ſe cauſa corruptionis in corporibus noſtris, non autem putredinis; morbi illi non erunt contagioſi ab aere. ſi autem aer putridus perimat, peſtis illa cenſebitur contagioſa, ſed leuiter: quoniam & raritati aeris, & fluxibilitati, & continuationi ad motus ſuperiores repugnat fieri ſummam putredinem. Tum quia ſumma aeris putredo prouidentiæ vniuerſi videtur repugnare; ex tali .n. ſequeretur vniuerſalis extinctio viuentiū in aere propter aeris continuitatem, & talis peſtilentia inquit Cardanus, nuſquā viſa eſt. Et ſi viſa eſt, fuit admodum mitis, vt illa ſub Antonino, quæ per quindecim annos totum terrarum orbem peregrinata paucos extinxit.

Obſeruatur in particulari aliter euenire, quoniam in multis annorum periodis habitantes citra æquinocij circulum verſus Boream pereunt fermè ad vnum omnes ex communi peſtilentia, corrupto valde aere, quamuis alij in oppoſita parte ſaluentur.

Obſeruatur ſub hoc primo genere peſtis venire etiā aerem ob mixtionem, & multitudinem exhalationum, & vaporū naturalium, aut propter priuationem motus, alteratū corruptum, putreſcentem. Dummodo illa putredo non ſit ſummè peſtilens; quia tunc cauſaret ſecundum genus peſtis. Remanens ergo in hoc primo genere cauſat peſtes leues, & ſæpiſſimè Epidemias, vt tabes, catarrhos, anginas, & ſuperio ribus annis febres malignas.

Obſeruatur vltimo: Aer putrefaciet exiſtens putridus, & tunc periculum erit, & à putredine aeris, & à putredine ſubiecti infirmi putreſcentis; vel aer putrefaciet exiſtens frigidus, aut ſiccus, per accidens ſcilicet, & tunc periculum putrefactionis erit à corpore per ſe putreſcente. Iſtæ tamen omnes putredines non habebunt maius contagium, quam habeat ſcabies,

lepra,

ra opthalmia phthiſ,& hoc eſt contagium maximè notum; ·iquis, de quo dicebat, Galenus 1. de different. febriũ cap. & 4. conſuetudinem expirantium fędum odorem, vt in tabe- , & peſtilentibus non eſſe tutam, quia non eſt ſummè pernı- ſa. Et hæc contagia tuto Antiquitus Medici viſitabant.

Secundum genus Peſtis, ab aere, cum vaporibus peſtiferis.

Implici naturæ Elementari aeris ob rationes prædictas ſumma putredo repugnat; ergo aer fit ſumme peſtiles ob miſcellam vaporum, aut exhalationum: Sed vapores, & ıalationes elementares ſine aliquo additó non videntur niſi mam ſpeciem cauſare, ergo plus requiritur; hoc autem erit quod valdè inimicum naturæ noſtræ, nec videtur ſufficiens ıenoſitas ſola, nec ſola malignitas, quia malignitas eſt qui- n periculoſa, non tamen ſemper exitialis, & venenoſitas ſæ- eſt à medicamento ſuperabilis; peſtis autem cum venenoſi- : inſuperabili, & malignitate deſperata plurimam partem imit. Ergo talia nobis valde inimica, aut ſumme corrum- ıt, aut putrefacient: ſumme corrumpent, vt ſpiritus ille plu- ius iuxta Hyerapolim, & ille alius in agro Neapolitano, qui nalia appropinquantia ſtatim iugulat. De quo Virgilius.

Hic ſpecus horrendum, & ſaeui ſpiracula ditis
Monſtrantur, ruptoq; ingens acheronte vorago
Peſtiferas aperit fauces.

:s ſunt exhalationes arſenicales è mineris, tales vapores ali- ındo è terremotibus exorti, ſed clementia aeris frequenter diſpregit. Vnde tales ſpiritus peſtiferi elongati à ſuo prin- io ceſſant eſſe letales, nec cauſant peſtes. Quãuis aliquan- vapor è terremotu exiens peſtes exitioſas fecerit. Talis eſt aliquando è ſpecubus, è ſepulchris, è locis vbi frumentum ultum putreſcit.

Cauſant autem peſtem frequenter vapores exeuntes è cada- ibus inſepultis, vel locuſtis ſerpentibus, vermibus, ſericeis, alibus propter ſummam putredinem, vnde ſequitur infectio

aeris,cui tales vapores miſcentur,talis fuit peſtis,de qua Thucidides,& Hippocrates meminere à corporibus in Aegypto ſuffocatis, quæ in Græciam propagata eſt talibus frequenter poſt magnas bellorum clades exortis plenę ſunt hiſtoriæ. Simile genus peſtis experti forte sũt milites Auidij Craſſi rupta illa arcula in Apollinis templo, vnde vapor peſtilens exijt, & peſtem cauſauit. Experti fortè ſunt hoc anno Mantuani, dũ confluentibus in vrbem ruſticis magna pars ipſorum in obſidione mortua eſt, & quidam fide dignus ad me retulit ibi in quadam die æſtatis præteritę mortuos ad tria millia hominum,quod an credam dubito, ſatis eſt inter alias calamitates,& peſtis cauſas aerem hoc etiam modo potuiſſe infici, & apud Græcos criminati ſunt Periclem,qui coacta in vrbem agreſtium turba peſti cauſam dederit, & Romæ narratur peſtis à Liuio, quod populus ſub arctis tectis numeroſus habitaret. Poſſunt etiam ab aliquibus nimium criticis reduci ad hoc genus cauſæ omnes illi, qui per ſimplicem hauſum infecti aeris in cubiculum alicuius infirmi intrantes mortui ſunt peſte.

Obſeruo vapores peſtiferos, aliquando ſolùm miſceri aeri, aliquando,& miſceri,& ſubſtantiam aeris ſimul putrefacere, .ſ. quando vaporibus peſtiferis aer reperitur aptus, & ſimilis, vel propter ventos, vel vapores elementares, vel qualitates conſimiles, & tunc Regnis,& prouincijs fiunt peſtes cõmunes. Alias vapores peſtiferi elongati à ſuo principio vnde exhalant, diſperguntur ab aere in ſuo ſtatu naturali ſua vi conſiſtente. Sic nos ſumus experti locorum infectorũ vapores ſola aeris perſpiratione diſſipatos ne vniuerſam vrbem noſtram infecerint, quamuis Lazareta fuerint excitata in loco periculoſo .ſ. in loco altiori proximæ vrbi ingruente ad auſtrum ſito vnde auſter veniens ſuper vrbem poterat portare peſtem; quod optime noſcens Card. Spada conſuluit de nouo Lazareto excitando ad partem vrbis depreſsionem ſitam ad ortum verſus ſeptentrionem, vnde flantes venti, & hi ſubſolani, vel Græci, vt vocant vulgo, impetu, & qualitate ſua vapores diſsipare poſſunt. Prodeſt tamen in hoc genere peſtis aerem perflare,& acribus vaporibus,aut odoratis expurgare,quod Hippocrates,& alij fecerũt vrbes, & prouincias ab his peſtilentijs ſeruantes.

Obſeruo calorē aeris, vt in æſtate fouere per ſimilitudinem tales vapores, frigus autem frequenter extinguere, & hinc patet ratio, cur contagium, quod per vapores communicatur, æſtate vigeat, hieme ceſſet. Inſuper calor habet vim ſuſcitandi è corpore infecto vapores, vnde maius periculum eſt in æſtate verſari cum infectis. Frigus autem intro vapores peſtiferos compellit, & per hāc cauſam correpti peſte in hieme rarò ſeruantur. Et quoniam cadauer infectum calore vacat, ideo aliqui putant tangere corpora mortua non eſſe periculoſum; ſed errant: quia remanet in cadauere calor putredinoſus, & quamuis calor omnis eſſet extinctus, adhuc tamē per calorem aeris, vel manus tangentis poſſent excitari vapores, & inquinamenta contrahi.

Obſeruo tandem, cum in hoc genere peſtis ab aere, æquale ſit periculū, vel aſsiſtendo ægris, vel fugiendo, fit vt peſsimum ſit genus peſtis contagioſæ. Non tamen vocetur contagium, quia hic communius periculum videtur ab aere, qui inſpiratur, & fortè perniciofius, quam ab ægro, cum quo verſamur. At in febre bubonia vocatur ſolumodo cōtagium, quia tota vis contagij per ſe ſtat in tactu rei infectæ, vel receptione vaporis à re infecta prodeuntis, exiſtente aliàs aere puro in ſua ſinceritate non inquinato. Et ſic aer non eſt cauſa niſi inſtrumentalis, quatenus eſt vehiculum ſuſtinens, & differens vaporem, & ſpiritum illum peſtiferum expiratum ab infectis. Quod munus præſtat aer quaſi per violentiam; quia citò ad ſuum ſtatum redit, & vaporem illum diſsipat. Malè .n. nobiſcum actum fuiſſet, dum in templis, in multitudine populi, & in vijs publicis verſaremur, ſi aer inſpiratus ab infectis retinuiſſet illam qualitatem, & vaporem peſtiferum ab inſpirante infecto communicatum. Cum .n. nos illum aerem ab infecto ſpiratum neceſſariò trahebamus, mortui ad vnum fuiſſemus omnes.

Tertium genus Peſtis, quæ eſt febris cum Bubonibus.

Aggredior tertium genus peſtis, quod ab alijs duobus generibus diſtinguitur, quia cum ſumma etiam aeris puri-

tate, vt in locis montium ſaluberrimi aeris maximè deſæuit. Diſtinguitur à quarto; quia corporibus etiam ſaniſſimis optime nutritis accidit. Et quia frequenter hæc febris, cum bubonibus apparet, bubonia dicitur,& ex hjs febribus conſiſtit peſtilentia noſtra. Non diſputabo,an hæ febres potuerint aliquando eſſe Ephemerę, vt de peſte illa ſudoris Anglici referunt, quæ vna die, cum ſudore magno interficiebat, & an potuerint eſſe Hecticæ, quia apud me certũ eſt, fere omnes fuiſſe putridas ex humorum putredine, quamuis hæc putredo primò inficere potuerit ſpiritus, & tandem terminare in conſumptionem partium ſolidarum. vnde hæc hectica eſt à putredine in partibus ſolidis, & inſanabilis, & Ephemera perniciosa non ſolum accendens ſpiritus,ſed citò,aut illos corrũpens, aut putrefaciens, & quoniam hectica, & Ephemera peſtilens tantum differunt à natura aliarum hecticarum, & ephemerarum, hinc vanũ puto, quod faciunt aliqui, ſumere argumenta à differentijs proprijs hecticæ, & ephemeræ ordinariæ pro febris peſtilentis conſtitutione.

Non diſputo,an hæ febres neceſſario apparere debeant cum bubonibus, aut carbunculis; cum ſit certum ex Galeno, materiam hanc aliquando ad interiora viſcera poſſe decumbere, & aliquos peſſima peſte cito extinctos viderimus ſine vlla alicuius exterioris tumoris apparẽtia. Et malignitatis peioris argumentum eſt, quando nec internus,nec externus tumor apparet; proximum, quando apparent primis diebus exanthemata, & peticulæ, deinde quando apparent ſub alas in emunctorio cordis bubones, ex quibus nullum ſeruatum ſcio, poſtea bubones ad venas iugulares, & in coxis ad venas iliacas, vel in alijs locis ad venas magnas. vltimò minus periculoſi cenſentur carbones, ſi pręcipuè in partibus ignobilibus à corde remotis,& cum valida expulſione naturæ conſpiciantur, & hæc ab alijs etiam in alijs peſtibus obſeruata ſunt.

Magis obſeruandum eſt, an hi tumores peſtilentes ſine febre potuerint eſſe. certum eſt, inquit Cardanus libro de venenis, quibus putredo vigêt, aut in extremis corporis partibus, & à corde remotis, aut in cauitatibus internis magnis, vt ventriculo, inteſtiniſque, quæ parum ad venas attinent, aut ſi dum ſit

pu-

putredo ſtatim euacuatur, non eſt neceſſe conſequi febrem, & tamen morbus peſtilens, & lethalis eſt. in elephantiaſi etiam, quamuis humor non exeat, & ſit in venis, & ſit peſtilens, & lethalis, non tamen adeſt febris; quia eſt corruptio, & non perfecta putredo, quoniam fit ſeparatio, & ideo refrigeratio, atq; ob id perfecta putredo abſolui nequit, vt etiam in ſphacelo contingit. Ergo poſſunt dari tumores peſtilentes ſine febre: raro tamen hoc euenire puto, quia vix poſſum imaginari, tam diram putredinem aggredientem, & deſtruentem calorem noſtrum, & temperamentum, quin natura ſolita ad minimum tumorem meditantem putredinem cõmoueri, & ſaltem ephemera concuti, tunc cum tãta putredine prematur, non accendatur ad expulſionem, & febriat. Cauſam tamen, cur aliqui videbatur ſine febre puto, quia putredo peſtilens, vt ſic, non habet ſummam caliditatem, quia caliditas putrida eſt vnita humiditati, & caret ſiccitate, quæ eſt lima caloris, & hinc aliqui magis conquerebantur de dolore tumoris, quã de febre; quod etiã Galenus 6. epidemiorum notabat. Præterquamquod fuerunt plures melancholici, præcipuè e fæminis, & e plebecula (& ego obſeruaui aliquas) qui animaduertebant hoc tempore quemcumq; impetum ſoliti humoris in corpus, & leuiter illo animaduerſo peſtem habere credebant, ex quibus aliqui cum hoc opinione in Lazaretum euntes, verè moriebantur, & numerus magnus eorum, qui dicuntur ſanati in Lazaretis, fuit ex hoc genere farinæ. Hinc reſoluitur, an febris fuerit ſymptoma tumorum, an tumores febris. Ferè ſemper tumor ad febrem fuit ſymptoma; rarò febris ad tumorem. Et cum vterq; morbus tam tumor, quam febris ſit morbus per ſe; morbus minus principalis ex duobus cenſetur ſymptomaticus ad principalem. Et explicatiùs loquendo poſſemus dicere, tam febres, quam tumores peſtiferos fuiſſe ſymptomata exquiſitæ malignæ, & venenatæ putredinis in corporibus peſte captis reſpiciẽdo principaliter ad cauſam, ad quam prima intentio in præſeruatione, & cura dirigenda eſt: parũ curãdo, vt notat Galenus de Symptomatum cauſis, an cauſas morborum morbos vocemus, & ſymptomata morbos, dummodo rem cognoſcamus. Sic Hip. 6. epid. ſect. 7. ad cauſam peſtis reſpiciẽdo in anginis peſtilentibus dicebat: ſe

cui venam ſub linguâ, quoſdam & ſurſum purgaui; nam hæc cum eſſent auxilia anginoſorum; non proderant; quoniã morbus erat peſtilens, & cura peſtilentis morbi curari debuit.

De cauſa coniuncta Peſtis Bubonicæ: an ſufficiat putredo ſine veneno.

RESpiciens ad cauſas coniunctas huius generis peſtis, duplicem opinionem inuenio. Aliqui ponunt ſummum, & exquiſitum gradum putredinis, per quem febris peſtilens ab alijs putridis diſtinguatur. Alij ponunt qualitatem veneficam occultam influxam à cælo, vel arcanam in morbis, vel cum putredine, vel præter putredinem. Pro vtraq; opinione ſunt loca Hippocratis, & Galeni, vt apud Maſſariam pro vna parte, apud Saxoniam pro altera, cum quo Fracaſtorius, Fernelius, Ficinus, Mercurialis, & alij. Et eſt communis Doctorum præcipuè inſiſtentium in qualitate venefica.

An arcana cæli qualitas ad alios morbos, & peſtes faciat, nõ quæro. Mihi quidem videtur durum hanc malignitatem virtuti ſuperiorũ rectrici in noſtra peſte adſcribere; quæ.n.malignitas, arcanaue qualitas egit, vt tot morerentur ex miniſtris infirmorum; qui autem à longè ſteterunt ſeruarentur? Nulla malignitas præter malignitatem morbi contagioſi, quæ ſi vocetur arcana, quia talis differentia inexplicabilis eſt, non habet plus in ſua ſpecie, quam habeant rerum aliæ vltimæ differentiæ, & proprietates, quæ nobis, vt plurimum ignotæ ſunt, & quemadmodum multa de alijs ignotis proprietatibus, & differentijs ſcimus, per communia genera, per qualitates, & differentias communes; eadem methodo de iſtis ſcire tentandũ eſt: quamuis.n. inexplicabilis videatur cauſa, qua magnes trahit ferrum, non ita inexplicabilis eſt: propter quam tendit deorſum. Immo ſubtiliores aliqui vim trahẽdi magnetis augere tentant, vt per vnionem alicuius calidatis. Deſtruunt autẽ ſcientias illi, qui ex aliquibus incognitis omnia menſurant, & in omnibus facultates magneticas, & arcanas affingunt; hoc.n. eſt vel ſoluere per machinas, vel nihil dicere.

Non ſic Philoſophus, qui ex vna parte reſpiciens ad cælum, vt cauſam vniuerſalem, ne ſolum ad cælum conuerſus amitteret terram, ex altera parte ad cauſas propinquiores, Elementa, eorumq; virtutes, & motus reſpicit, & primo Meteor. ait, accidentia circa ipſum aerem, & ignem, & cognata his, vt in materiæ ſpecie eorum, quæ fiunt, cauſas oportet putare; eſt.n. generatio ab his virtutibus, cum habeant rationem ex ſubiecta materia vnicuiq; naturæ: hoc modo omnes ferè ſcientiæ, & Mathematicæ demonſtrant paſſiones proprias per applicationem principiorum communium ad ſubiecta propria. Sic malignitas peſtilentiæ exquirenda.

Non eſt dubiũ per ea, quæ habet Gal. in epid. quin malignitas humoris abundantis in illa peſte, in qua membra excidebant, conſtituta fuerit ab illo ex magnitudine putredinis. ſic febres peſtilentes ab alijs per gradum ſummum putredinis diſtinguit primo de febrium differẽtijs. & ſi è putredine benigna morbi benigni, è maiore maiores, ergo è maxima maximi, & peſtilentes. & ſi peſtilentia hæc curatur per reſiſtentia putredini, ergo ex putredine. nec valet obiectio Saxoniæ de Phænigmis 2. ſcilicet vltimum gradum putredinis propiùs accedere ad naturam elementarem, nempè ad reſolutionem mixti in elementa, ac proinde eſſe debilem; putrida .n. in fine ſicca remanent. non inquam valet, quia ſummus gradus putredinis non ſumitur ex fine, & ceſſatione putrefactionis, ſed è gradu, in quo actio putrefactionis eſt in vigore; quando .ſ. putredo maximè feruet, fit maior fœtor, corruptio, & lucta interni caloris cum calore putrefaciente; tunc .n. maximè putrefacit. Addo ego nec venena viua animalium, nec ſerpentum ſpiritus videri ſufficientia ad cauſandam peſtem, quia poſſunt quidem proximos citò ſine putredine interficere veneni ſola acrimonia, ſed non cauſant peſtes, niſi per putredinem, quando .ſ. ipſorum cadauera ſerpentum, vt notabat Auicennas putreſcunt, ergo peſtis ex putredine. Vnde Suſius deſcriptionem peſtiferæ putredinis afferens, inquit, eſſe multã, magnam, variam, malignam, ſordidam, profundam, concluſam, mortalem. addite vos alia improperia, nec errabitis.

Ex altera parte alij qualitatem peſtiferam intuentes aiunt,

naturam veneni æmulari,& Gal. 3. in 3 epid. comparabat illam veneno canis rabidi, quod ſine putredine apparet; & de locis affectis aiebat, iuuenem extinctum ſine inſigni putredine ſigno veneni geniti in corpore; nam venena in corpore gigni poſſunt, præcipuè ex corruptione bilis, & melancholiæ, & quorundam ciborum. Et ſi ex certo temperamento, in vipera gignitur fel calidiſſimum,& ſicciſſimum, quod nobis venenum eſt: quid prohibet venenum peſtis, vel in nobis gigni ſine putredine, vel aliunde ſine putredine communicari? addite, ſi omnis peſtis neceſſario eſt è putredine: ergo omnis ſinocha febris erit peſtilēs, vel omnis peſtilens ſinocha, eſt .n. ſinocha putrida è ſumma putredine in tota humorum maſſa, ſed febris talis non apparet contagioſa, vt peſtilens. Nec ſymptomata peſtilentis videntur cõſequi ad ſinocham, ergo in peſte aliquid præter putredinem. Addite peſtium præſidia ſumi ex Alexipharmacis, prout contra venena militent. Addite plures viſos in hac peſte mori, ſine vllo putredinis inditio. Nec valet, quod reſpondet Maſſarias, citam mortem, & ſæua ſymptomata eſſe ſignum ſufficiēs putredinis. Nam talia ſymptomata, & peiora, cum celeri morte ſequuntur ad multa venena ſine putredine lethalia.

Duo ſunt modi euaſionis, vnus ſi dicamus cum Suſio, putredinem peſtilētem, ſi citò agat, eſſe potius corruptionem, quam putrefactionem, & dicere cum Cardano, primo de venenis cap. 23. Galenũ de ſimplicib. med. 5. c. 18. exiſtimare putrefacientia medicamentá, quæ nõ ſunt verè putrefacientia, & quæ corrumpunt ſine putrefactione, vt ſunt erodentia, fel viperæ, aquæ fortes, & ſimilia. Sed hoc dicere eſt negare putredinem, quæ tam neceſſaria videtur in hac peſte, vt ſine putredine nõ videatur conſiſtere contagium, quod huic peſti tam intimum eſt, vt hæc cauſa reddatur, cur peſtis cõmunicetur alteri, quia putredo eſt alteri communicabilis. Non ſic venenum, quod perueniens ad cor, aut membrum principale vlterius alteri nõ communicatur.

Quod ſi dicant è Galeno, lib. de Theriaca, etiam animalia à venenatis occiſa aliquando infeciſſe excoriantes, & medētes: reſpondeo id fortaſſe fuiſſe, vel à veneno putrefaciente, vel à putredine poſt mortem genita: dantur .n. venena putrefacien-

tia,

ia, vt venenū Salamandræ, Dryini, nec eſt inconueniens vnum gradum caloris homini putredinoſum, in Dryino eſſe naturalem. Immò in confirmationem putredinis dicimus, quod cum inter venena aliqua exerãt magis ſuas vires intus ſumpta, quam contrectata, conſtat venenum putrefaciens, & aſſumptum intus eſſe perniciofum, & etiam contrectatum, quod non eſt in multis venenis, quæ contrectata, & extra applicata non nocent, aut lethalia non ſunt.

Itaq; alter euaſionis, & conciliationis modus eſſet admittere pro cauſa putredinem venenoſam, quia putredo accedens ad ſummum gradum induit naturam veneni, & inter genera venenorum ponuntur venena putrefacientia. Hæc opinio vtramq; videtur complecti, tam putredinem, quam venenum. Sed nec re ipſa in hac conueniunt auctores. Quia, qui ſtant pro putredine concederent ſummam putredinem vocari nomine veneni, & eſſe inexplicabilem, vt ſunt vltimæ rerum differentiæ, cuius tamen & ſufficientem manifeſtationem ſtatuunt per principia putredinis. Alij autem quando peſtem venenum adſtruunt, voce veneni intelligunt aliquod occultum, arcanum, inexplicabile, vel à cælo influxum, vel in nobis genitum, & hoc vel cum putredine, vel ſine putredine, quod ſenſui priorum maximè repugnat. Et vt ingenuè fatear, apparent potius in peſte effectus veneni ſine putredine, quam putredinis ſine veneno. Et ſi hoc quæſitū diſputationis, aut altercationis gratia proponeretur, non facile altera pars poſſet conuinci propter fallaciam, nam ad peſtem ſequuntur ſigna putredinis, quæ ad venena, etiam ſiccißima ſequūtur, & ad corruptos venenis ſicciſſimis ſequuntur puſtulæ, & putredo. Et ex Dioſcoride lib. 6. patet ex multis ſerpentibus, qui corrumpere dicūtur, non putrefacere: nam actio talis veneni terminatur primò ad deſtructionem temperamenti illius mixti, ſi poſtea hoc deſtructo ſequatur putredo, non per id, illud venenum dicetur verè putrefaciens. Alias aqua ſeparationis, & ignis cenſeretur putrefacere, quia poſt ipſorum actionem poteſt ſequi putredo. Et gladius non occidit putrefaciendo, quamuis ad ictos gladio ſequatur putredo, ergo peſtis poteſt attribui veneno, etiam ſine putrefactione agenti, quamuis poſt actionem talem veneni ſubſequatur per accidens putrefactio.

Mihi quidem rem intimè ſine alicuius odio, & gratia conſideranti (ſi aliquid certi in materia tam ardua apparere poteſt) Apparet primò nulla arcana cęli qualitas efficiens: ſecūdò nulla arcana qualitas in nobis genita, quæ per principia putredinis, & veneni ſatis explicari non poſsit. Vnde concludam, nec hoc genus putredinis ſine veneno, neq; hoc veneni genus ſine putredine hoc in genere peſtis cōſtare: intelligēdo pro veneno naturā alicuius veneni diſtinctam à veneno putrefaciente, vel per putredinem genito, quia aliàs eſſet lis, & diſputatio de verbis: quod vt probem duo præſuppono, vnum de putredine, aliud de venenis. Nam res, vt dicebat Lucretius, accendunt lumina rebus.

Suppoſita de Putredine, & Veneno, & facili vtriuſq; communicatione.

Certum eſt per Philoſophum vlt. cap. 1. de Cælo omnia naturalia tam ſubſtantias, quam accidentia, quæ habent eſſe per generationem illud amittere per corruptionem, ita vt corruptio ſit terminus communis omniū genitorum. Sic animal inter glaciem frigore moritur, ſic aliud inter ignes proiectum perit, aliud ſuffocatur, & omnes ſunt corruptiones animalis; illud .n. cadauer manens non eſt animal, ergo animal corruptum eſt. Sed inter varias corruptionis ſpecies vna maximè eſt putrefactio, de qua dicebat Philoſophus 4. Metheor. quod omnis ſecundum naturam corruptio ad putrefactionem via eſt; nec minus verum eſt omnem putrefactionem viam eſſe ad corruptionem; ſic putrefactio in humoribus animalis eſt via ad corruptionem, & interitum illius animalis. Et corruptio quęlibet, & mors animalis eſt rurſus via ad putredinem, quæ in cadauere illo, etiam poſt animalis mortē acriter exercetur, quo ad illud mixtum in ſua reſoluatur elementa. Mixtum ergo propriè eſt, quod putreſcit, & maximè mixtum humidū. Efficiens putredinis eſt calor ambiens, ſic putredo definitur corruptio eius, quæ in vnoquoque humido propriæ, & ſecundum naturam caliditatis ab aliena caliditate. Sic caliditas mixti in-

putrefactione interit. Sic dicebat Philoſophus in problematibus, quod putreſcit refrigerari: ita tamen, vt caliditatem putreſcentem cõtrahat: ſic Philoſophus vltimo capite 4. Meteor. dicebat. Quapropter, & in putrefactis animalia naſcuntur; neſt .n. caliditas, quæ corrumpit vniuſcuiuſq; caliditatem. Sic apparet in putreſcentibus maximus calor qui non erat, quando putrefactio aberat, vt experimur in tumoribus putreſcentibus. Sic putreſcẽtia vidẽtur feruere, fumos emittere, bullas gignere, & ebullire.

Non eſt ad propoſitum meum diſputare an ab alijs cauſis, vt ab obſtructionibus, ab influxu caloris influentis negato, aut ab alijs fieri poſſit putredo. Sed obſeruo ſolùm calorem efficientem putredinem, qui dicitur ambienſis poſſe eſſe, cum ſiccitate. Frequenter eſt cum humiditate vnde putreſcentia à calore humido magis putreſcunt, quia minus exhalant. Putreſcentia à calore ſicco minus putreſcunt, quia magis exhalant: quod ſi ſiccitas caloris maior ſit caliditate, non putrefaciet. Et hinc patet ratio propterquam aliqui ſperarent à calore ſicco æſtatis peſtem noſtram compeſci, cum tamen exacerbata ſit. Quia putabant putredinẽ calore ſicco extingui: at quia calor ſiccus plus faciebat exhalare, plures diſpergebat vapores, etiã plures inficiebantur; nec vos perturbet, calorem ſiccum aliquando cauſare putredinem, quoniam dum ambit, & vnitur miſto humido, modificat ſuam ſiccitatem in illo, & putrefacit. Hæc caliditas putrefaciens vocatur aliena, quia vel quãtitate, vel qualitate deformis eſt ad miſtum, quod putrefit: quamuis videatur ſimilis ad miſtum aliquod quod generetur; & quæ caliditas temperiei carnis eſt inimica, vermibus eſt naturalis. Alienum ſic vocabat Lucretius cælum, quod nobis per influentias, ex alijs regionibus morbos, & peſtes portabat. Sic idem gallinæ calor, alia oua ſubiecta putrefacit, ex alijs pullos generat; in illis .ſ. hypenemijs galli ſemine participantibus, & idem faceret calor temperatus furni, & in Oriente in furnis oua ponunt non ſub gallinis.

Ex parte ſubiecti putreſcibilis noto, nec frigida, nec ſicca putreſcere, & per conſequens mixta, quæ vel ad frigiditatem, vel ſiccitatem accedunt minus putreſcunt, vnde redditur communiter

muniter cauſa, cur ſenes rarò peſte pereant, quia vergunt ad frigus:quidquid ſit certum eſt nec niuem,nec glaciem putrefieri. Et quæ magis ad naturam ſiccitatis accedunt, ſunt minus obnoxia putredini, vt de carne Pauonis, Cerui, & talibus narratur. Ergo varietas mixti putreſcibilis ex variatione temperiei humiditatis, cum ſicco prodibit. Sicciora, vt oſſa, & ligna ſi putreſcunt vermes, & cariem generant: valde humida etiam non perfectè putreſcunt, quia euaporant, & ſitum generant, & mucorem: quæ in ſui temperamento parũ caliditatis habent, non perfectam putredinem gignunt, vt multæ herbæ. mala punica lac,& alia,quæ euadunt acida. Inſuper pinguia fiunt rancida, quod genus putredinis non videtur peſſimum. Olea difficulter putreſcunt marceſcente calido, inquit, philoſophus aereę partes exhalant,remanent aquę;& apparent albæ ſic mixta aliqua imperfecta,quæ maximè ad naturam elementaŕe accedunt non videntur putreſcere, vt ſalia, lapides. Sic metalla ob perfectam ſui humidi concoctionem difficulter putreſcunt, alia ob caloris internam fixationem,alia ob materiam denſiorem, alia ob perfectam ſuæ temperaturæ rationem. Ergo mixta perfectiora, magis temperata ſi putreſcant,peſſimè putreſcũt: ſic corpora animalium, & hominum præcipuè,cum ſint inter mixta valde perfecta putreſcunt nobis inſenſiſſima putredine. Ergo putredo peſtilens ratione ſubiecti erit peſſima.

3 Inſuper humidum in quo putredo exercetur, aut eſt excremẽtitium, aut naturale tali mixto. Humidum excrementitium aut extraneum, ſi putreſcat, non videtur peſsimè putreſcere, & potius quædam excremẽta tranſeunt in naturam veneni, quam ſummę putredinis: ſic bilis aliquorum animalium, & irati hominis eſt venenum, & ſemen retentum venenum eſt. è contra aliorum animalium vrina bene olet, & ſudores,& excrementa, & putredines, vt moſci nobis ſunt iucunda, & humiditas excrementitia ligni fungos, & ſitum parit. Verè ergo putredo exercetur quando humidum internum ſubſtantiale mixti putreſcit, quod humidũ tranſit in vermes: & illa humidas in ligno propriè putreſcet quæ colligat partes terreas, & ſi accendatur tranſit in flammam nam humiditas excrementia, & aquea non concipit ignem, ſed excedit. Eſſet etiam alia humiditas, quæ non

putre-

putreſcit, & eſt illa quæ remanet in cineribus, quæ apparet ſi cineres ponantur in fornace vitraria fluunt, & liqueſcunt, ſed indigẽt magno igne, & hoc fit in fornacibus apud populos ſeptentrionales vnde veniunt illa vitra quæ noſtris ignibus minus validis ob quantitatem, & qualitatem lignorum difficiliùs liqueſcunt, Et hæc humiditas vocatur ſal à chimicis.& eſt ſimilis humiditati ſalis quæ eſt vnita parti terreæ. Quicquid ſit certum eſt multas eſſe humiditatum ſpecies. Nam natura aquæ per concuctionem caloris internam, & externam in planta tranſit in ſuccum, & mucilaginem: per vlteriorem coctionem tranſit in naturam olei vnde natura olei, etiã ex interno calore repugnat putredini, & ſi concoquatur vlterius tranſit in naturam igneam acrem diſſipabilem non putreſcibilem, vt patet in oleis deſtillatis,& præcipuè in liquoribus ex metallis. Ergo putredo in peſte cũ ſit ſumma erit in humiditate propria non excrementitia, in humiditate profunda quia humiditas ſuperficialis exhalat; in humiditate pingui quia peſſime putreſcit, & vermes generat, vt patet in ſepulchris quorum exeuntes ſpiritus aliquos perimunt, & præſertim erit denſa in peſte quia putredo peſtilens multum exhalat: denſa.n.ſunt quæ habent plures partes ſimul vnitas tenues, vnde aqua in vaſe ſuper ignem cito euaporat: oleum autem diu durat vapores,& exhalationes diſpergit accerrimas, & multas, vt gutta olei ſuper tabulam diu durat late diſpergitur, & odorem ſpargit. Quia conſtat ex multis partibus tenuibus diſpregibilibus.

De venenis breuiter obſeruo alia agere putrefaciendo alia erodendo alia alterando calefaciendo exſiccãdo, alia alijs modis: aiunt Dryinum, Leporem Marinum, rubetæ ſpumam agere putrefaciendo nec eſt inconueniens gradum caloris alicuius animalis aut eius excrementi nobis eſſe putredinoſum. Multa metallica agunt erodendo, & corrumpendo, & mihi ſatis eſt, quod apud omnes exploratum eſt aliqua venena, vt fel viperæ ſpumam canis rabidi agere alterando propter ſummam caliditatem, & ſiccitatem ſummè calefaciendo,& corrumpendo ſine putredine: quod ſi quis velit obſtinate ſuſtinere, hæc etiam venena putrefacere, quia putredo poſtea ſequitur, poterit etiã pari ratione credere, & ſuper ignem proiecta, & icta fulmine

putreſcere, quia etiã in illis humiditas, & caliditas à ſicco mediante calore externo ſeparatur, ſed hoc eſt expreſſe contra textum philoſophi cap. 2. quarti Meteor. ponentis putredinẽ, non in ſeparatione humidi à ſicco; ſed in corruptione caliditatis in humido: quod ſi ad animalis cadauer mortui inter flammas ſequatur putredo, caſu quo non reducatur in cineres ab igne, per hoc non eſt cenſendum illud animal priùs etiam per ignem putredine corruptum.

Eſto dubium ſit apud acres viros, an dentur venena frigida, vt cicuta, & opium, & an agant corrumpendo ſpiritus, non ob frigiditatem, ſed ob putredinis naturam, dũ impediunt actionem caloris natiui: certiſſimum tamen eſt, & in artefactis venenis metallicis, & multis naturalibus ſummam caliditatem, & ſiccitatem ineſſe: igne .n. metalla, & lapides, vt aiebat Philoſophus vltimo 4. Meteor. propter calidi opificium, vt calx, & cinis calorem contrahunt, & ſiccitatem igneam vnde corrumpunt: & videmus, quàm citò ſublimata, aquæ forte, & ignis ignium, quod eſt fulmen, agat. Quòd etiam venenum, vt fel viperæ ſit calidiſsimum, & ſicciſsimum præter auctoritates doctorum apparet è temperamento bilis, è cita actione, è feruore & caliditate à morſu illata: apparet è locis ſicciſsimis vbi captę viperæ calore ęſtiuo venenum valde acutum poſsident. Quod ſpuma canis rabidi ſit calidiſsima, & ſicciſsima, apparet ex temperamento calido, & ſicco, canis: apparet in æſtate canes rabie capi, & præcipuè negata acqua: apparet è modo, quo quidam rabiem è cane ſuſcitant, illos diebus canicularibus ad ſolis radios exponendo, & verberibus afficiendo, vt valde iraſcantur, & ęſtuent, & potum negando: vnde ſpuma ore exiens calidiſsima, & ſicciſsima cenſetur (& quis ſcit, an in cane rabido conſumpta vna humiditate à calore, calor aggrediatur alteram: & quemadmodum humiditas olei, & metalli fuſi maximè aquam auerſatur, ita maximè ſecunda humiditas ſuperaccenſa agat, vnde auerſatio aquæ: ſed valeat quantum poteſt) ſatis eſt, ſi indico venenum canis calidiſsimum, & ſicciſsimum: communicatur facilè neruis, vt parti ſiccę, & per neruos ad cerebrum repit, & conuulſiones creat: ſic purgatur Eleboriſmo: theriaca nocet: & cãtarides proſunt, quia cum vehementi euacuatione partem

veneni

veneni expellunt, & in cane, vt puto, nocerent: ergo quis neget hæc venena agere alterando ad ſuam naturam.

Nec putent iuniores olea magis ignea, quia flammam concipiunt, quàm hæc venena: quia in oleis abundans humiditas actiuitatem impedit: & flamma ex aqua vitæ ob humiditatem ſuam parum agit, nec panno nocet: ſiccitas autem in aqua forti, ob ſpiritus acres, & igneos, & vt aiunt Chimici, ob ſal volatile amoniacum, & in oleo vitrioli, & ſulphuris, & ſi flammam aliquando actu non concipiat, pannos vrit, & penetrat vnde magis ignea eſt. Nec vos commoueat venena calidiſsima in aliquibus partibus effectus frigiditatis parere, quoniã hoc per accidens, aut per antiperiſtaſim euenit, aut quia influxus ſpirituum, & caliditatis ad aliquas partes, alias deſerit.

Addite in his, venenis, partium tenuitatem, & humiditatem actualem, quibus carni magis infigũtur, & aſsimilãtur, quàm ſcintilla ignis, quæ ſuper carnem incidens, carnis humiditate extinguitur nec altius penetrat. Vnde Cardanus lib. 1. cap. 4. ait tàm neceſſe eſſe, vt venenum ſit letale, vt ſit tenuium partium, vt auſim fermè dicere, omnem ſubſtantiam admodum ſubtilem eſſe venenum, aut ſaltem eiuſmodi vt iuncta cuicunq; vel minimum malefico, in venenum ſtatim tranſeat. Vnde videtur dubitabile, an per ignem venena acuãtur, aut extinguantur: nam metallica acuuntur per ignem; venena plantarum, & animalium extinguuntur: ſi tamen & metallica diù in igne remaneant, .ſ. ad fixationem, quo ad partes fixæ perſtent, volatiles habeãt, omnis facultas venenata deſtruitur: & hoc eſt quod dicebat Muffetus: nullum eſſe venenum, quod ipſe poſt fixationem non ſumeret.

Cauſa communicabilitatis veneni, & putredinis.

TAm venena verè putrefacientia, quam alterantia, & corrumpentia ſine putredine, inter ſe conuenint, & diſcrepant, conueniunt, quia vtraque ſunt calida, quandoq; etiam, ſi ſint ex animalibus ſunt actu humida: ſed diſcrepant; quia gradus caloris veneni per ſe putrefacientis eſt

mitior:

mitior: corrumpentis autem ſine putredine eſt intenſior. Inſuper corrumpētis gradus eſt ſiccißimus, putrefacientis humidus: conueniunt tamen maximè, quia vtrumq; eſt communicabile, & cū hoc fiat ratione caloris, hinc fit putredines tardius, calidißima citius communicari, quia ex vna parte ignea caliditas ſubiectum, & pabulum quærit, & perpetuo mouetur, quia maximè agit, & penetrat, & diffunditur: putrida autem feruent calore putrido; vbi calor feruens ibi motus; in omni motu proprium, eſt producere ſibi ſimile, quia omne agens agit aſsimilando ſibi paſſum, ſed aſsimilatio inter contraria non fit niſi per deſtructionem oppoſiti, in his.n. idem eſt aſſimilare ſibi paſſum, & deſtruere formam antecedentem, ergo putridū putrefacit: & magis quo id quod ſecernitur denſius, & penetrantius eſt, quod fit in sūmo putrefactionis; quia putrefactio incipit lentè, & paulatim agit; quod obſeruandum eſt maxime in peſte vnde infecti aliqui in principio non admodum vexantur, nec admodum contagioſi ſunt, quia putredo non eſt in ſummo nec fit exhalatio; non ſic venena calida, & ſicca, quæ cito ſuas vires violēter in principio exerunt. Quod ſi reperiatur venenū, quod ſiccitatē atquè tenuitatē partiū, cū humiditate vniat, illud erit peſsimū, & præſentaneū putrefaciens, vt Ariſt. ait in problematibus de veneno cōpoſito ex aſpidibus, & forte talia ſunt venena è ſpuma Salamādræ, & rubetæ, aut putrefactæ, aut vi ignis à viua expumante collecta. Neq; hoc quamuis difficile eſt impoſſibile, quia ſiccitas quatenus animalis eſt cum aliqua tenui humiditate, in qua eſt vis veneni, propterquam non deſtruit humiditatem putredinoſam, quæ alias à venenis calidis, & ſiccis, ſimpliciter, vt ab ignitis deſtrueretur.

Amplius, vt quodlibet venenum fiat maxime communicabile requiritur proportio, & ſimilitudo veneni ad ſubiectum cui communicari debet: ſcintilla ignis in fomite arido ſerpit nō ſic in viridi. Aqua ſeparationis agit in aurum non in vitrum: ſerpētibus ciconiæ, & gallinæ ſcorpionibus, & venenatis nutriuntur: aliquæ complexiones propriæ hominū venenis reſiſtunt ex Dioſcoride libro.6. Ex Galeno 3. de ſimplicium facultatibus aliqua venena ab aliquorum natura ſuperantur, vt opium, & quæ cenſētur cum frigiditate. Sed venena calida, & ſicca, vt na-

putre-

pellus, etiam in pauca quantitate non ſuperatur quia agunt vi ignis, & de igne dictum eſt, quod non refert, quam magnus, ſed quo incidat. Proportio eſt aliquando qualitatis ad qualitatem aliquando ſubiecti ad ſubiectum qualitas veneni calidi, & ſicci promptiùs communicabitur homini ſimilis temperamenti calidi, & ſicci quia in habentibus ſimbolum facilis eſt trãſitus. Proportio ſubiecti ad ſubiectum faciet venenum animalis magis communicari alteri animali, & magis etiam ſimilibus ſpeciebus, vt canis ad hominem, & maximè in eadem ſpecie Petri ad Ioannem, & genti eiuſdem ciuitatis, eiuſdem ſanguinis ita vt quanto maior ſit conueniẽtia, & qualitatum, & ſubiectorum tantò faciliùs venenum omne, & putredo communicetur inter ipſa. Omne. n. agens agit non quatenus ſimile, quia iam idem eſſet nec gutta huius aquæ in aliam agit, à qua ſola diuiſione differt. Nec quatenus diuerſum nam per textum 49. 1. de generatione. Nihil albedo patietur à linea nec linea ab albedine, ergo agens agit quatenus differt, & conuenit. Eadem qualitas in duobus diuerſis ſubiectis illa vniet: eadem ſubiecta cum diuerſis qualitatibus in ſpecie, ſe mutuo deſtruent. Et hæc eſt radix ſympathię, & antipathię quæ difiniuntur per conſenſum, & diſſenſum rei ſine cauſa manifeſta. Nam aquæ ad ignem, & ſulphuris ad ignem non vocantur antipathiæ nec ſimpathiæ, quia apparent cauſæ.

Quæ ergo eſt ſympathia veneni, aut peſtis cum homine cur illam tãm faciliìme contrahat? nulla certe maior quam quoniam peſtis è ſubiecto ſimili procedit ideſt ab homine ſic facillime in hominem progreditur imo ſui principij originem ſeruãt, & putredines in tabidis, quæ à pulmonibus exortæ pulmonibus non iecori communicantur; Nec eſt imaginandum quod aiunt aliqui cor aliquorum habere proprietatem ad recipiendam peſtem; nam quæ naturalis proprietas in corpore ſano reperiatur ad tantam malignitatem, & tamen ſaniſsimi, & temperatiſſimi citiſsime inficiũtur, & pereunt ergo qualitates ſunt contrarijſsimę peſtis ad corpus, & nulla ſympathia. quod ſi cor videatur attrahere venena, & peſtes: attrahet attractione quę fit per arterias vacui, & raritatis cauſa nam hęc venena calefaciunt vnde ſequitur raritas, & vacuum non autem naturali attractio-

ne qua per villos cor ſuum ſimile attrahit, aut mēbrum ęgrum & egens trahit id quo indiget. Ergo propter conuenientiam ſubiecti ex quo procedit peſtis, & in quo recipitur nam ab homine in hominem recipitur ſufficiens aſsignatur cauſa facilis communicationis, & ſi ſint aliquæ qualitates naturales communes inter illa ſubiecta, vt ſunt ſæpe inter partem filium, & fratres, ratione etiam huius conuenientiæ faciliùs communicabitur inter ipſos, quia ille qualitates bonæ ſimiles erunt vehiculum qualitatis peſsimæ peſtilentis. Hoc tamen quod aſſero de ſtatu temperamenti hominis ſecundum naturam, non intelligo de hominibus in ſtatu morboſo quia homines ad putredinē diſpoſiti, & humoribus repleti putridis facilius peſtem concipiunt, hoc patuit experimento, prępiuè in fæminis, & virginibus, quarū pars magna mortua eſt peſte, in quibus ſuppreſſi menſes apparatum ad recipiendum contagium præſtabant: vnde tales fæminæ ex minimo rei infectæ contactu, & ex reſpiratione infecta à longè etiam inficiebantur; quod non eueniebat in alijs ſine hac præparatione humorum, etiam cum maiori vicinitate; neque ipſis fæminis hoc contigiſſet, ſi ſatis à longè ſtetiſſent: & patuit in clauſtris virginum, vbi quamuis habitent multæ cum his diſpoſitionibus, tamen à contagio ſeruatæ ſunt per cuſtodiam.

Concluditur hanc peſtem eſſe ex putredine, & veneno.

QVibus conſideratis de putredine, & veneno, & de vtriuſq; conuenientia, & facili communicatione cōcludo, in peſte bubonia tria eſſe: putredinem, venenum & analogiam inter putredinem, & venenum cum fundamento facilis cōmunicationis ad hominem: eſt putredo quæ non ageret tam vehemēter ſine ſtimulo acris veneni: eſt venenum, quod non putrefaceret tam acriter ſine putredine: eſt analogia putredinis, & veneni inter ſe, & ad hominem; quia debet eſſe talis putredo, quæ ſit contraria ad hominem cum ſimilitudine, vt putredo humani cadaueris:

ris: debet eſſe tale venenum, quod habeat antipathiã, & ſympathiam cum homine, vt venenum animalis, viperæ, canis rabidi, & ſimilium. Debent inter ſe eſſe tam temperata, & proportionata; vt putredinoſa nõ perdant vires ob admixtionem acrium venenorum, & venena acria ſuas non retundant ob miſcellam, cum putridis: imo hæc duo ita coaleſcunt in peſte, vt quanto magis de putredine perditur, tanto magis de veneno acquiratur, & è contra: hinc aliquos homines aliquando peſtis lentè putrefacit, cum ſolis ſignis exquiſitæ putredinis, cum febre lenta; aliquando alios celeriter inuadit, & citiùs perimit, cum ſignis ſummæ venenoſitatis euxſtæ, vt patet in carbonibus, eorumq; apparente exuſtione: nunquam tamen venenum ſemina putredinis, nec putredo veneni amittit; nunquam perdunt analogiam vnde procedunt, nunquam vtraq; deſinunt eſſe perniciosa, dum ſemper ſeruant ſummam contrarietatem ad ſimetriam humani caloris, & temperamenti. Hæc venena, has putredines, eorumq; gradus optimè norũt diabolici viri, qui mixturas producendæ peſtis componunt, & legi tales eſſe apud Tartaros, & Turcas, apud quos hæc inuentio viget. Audiui tales inuentos anno ſuperiore Mediolani, & quod maximè nollem, audio temerarios ſcriptores vulgaſſe libros de peſte manufacta, cum receptis, modis, & formulis venenorum, putredinum, & proportionatæ miſcellæ; quæ omnia ab hominum memoria eſſent obliteranda: qui tamen tales ſcripturas legerit, fortaſſe cognoſcet noſtram de peſte Theoriam non eſſe falſam; in qua in parte conuenirent Auctores moderni, & Antiquiores, qui peſtem huius generis ex putredine cenſent, & qui ex veneno; dum tamen faterentur, neq; hoc venenum ſine putredine, nec putredinem ſine alio veneni genere concurrere ad conſtitutionem: Ergo pro hac opinione faciunt argumenta, vtriuſq; opinionis in ſuperioribus adducta; faciunt doctrinæ de venenis, & putredine obſeruatæ: hoc arguunt effectus, ſigna, ſymptomata, modi inuaſionis, quos omnes vidimus in peſte: hinc methodum medendi, & problematum ſolutionem venabimur. Ex his principijs execrandum peſtis oritur temperamentum: nec dubitet aliquis, quomodo in tali temperamento vehementia caliditatis, & ſiccitatis ſummæ veneni alicuius ingredientis, non deſtruat calo-

calorem; & humiditatem minus acrem putredinis, & veneni putredinoſi; quoniam hoc prouenit è proportione miſcellę: de inde dato, quod calor ille putredinoſus multum diſsiparetur à vehemẽtia veneni calidiſſimi, adhuc tamen remanet ſemper ſedimentum, & fundamentum putredinis ſeruans analogiam ſui principij. Propagatur autem per vnguenta, olea, & lanas, quia hæc plus retinent, plus adhærent, & magis exhalant.
Tandem, dicet aliquis, ſecundum hæc iacta principia, omnis peſtis bubonia erit arte facta. Reſpondeo poſſibile eſſe, vt in humano corpore ſummæ generentur putredines, quę imitentur naturam veneni putredinoſi: poſſibile eſſe, vt in aliquibus hominibus generentur venena, quæ imitentur vires acrium venenorum, vt aiunt, ex accenſa bile irati hominis, & de corruptione ad igneam naturam vergẽte in excrementis; & humoribus, & præcipuè vtriuſq; bilis, & eſt expreſſa doctrina Galeni 6. de locis affectis 6. & ſectione 6. Aphor. & ſecundum hæc duo ſuppoſita, ſi coaleſcant aliquãdo in vno ſubiecto naturali, ſumma putredo, cum ſumma venenoſitate, naturaliter fiet hęc peſtis: ſed hoc tam difficilè eſt, vt ferè nunquam contingat: videmus quidem, & experiuntur practicantes medici in vrbibus amplis aliquando in aliquo vnius familiæ tam diram putredinem accendi, vt reliquos eiuſdem familiæ, & aſſiſtentes ſecum trahat, & tota illa domus ſupplantetur: vidimus nos hoc annis ſuperioribus eueniſſe in familia cuiuſdam Librarij. Tales putredines frequẽter in domibus ſordidis pauperũ, & præcipuè in ſordidis hypocauſtis Germaniæ, inter plebem reperiuntur: ſed non ſunt tantæ vehementiæ, vt poſtea per minimum contactum panni, aut halitus contrahantur, & fiant peſtes cõmunes; quia vt ego puto, huic putredini ſtimulus acris veneni deeſt, qui longè lateq; putredinem, eiuſq; vapores diſpergit. Videmus etiam ſæpe aliquos venenis correptos acribus; ſed mors ipſorum, aut nullos, aut paucos inficit, niſi ſint venena è genere putrido valde contrectata, & illa etiam per paucos tranſeunt, nec cauſant peſtes; quia .ſ. talibus venenis putridis ſtimulus, & acrimonia facilis communicationis deeſt, & acribus deficit fundamentum proportionatæ putredinis. Immo hoc rarò inter homines naturæ clementia euenit, quia ſi in corpore noſtro venena generantur

tantur acria, acrimonia veneni, quę eſt ſtimulus facilis diffuſionis diſſipat putredinem, quia ſummè calida, & ſicca diſſipant mediocriter calida, & humida. Ergo inuenienda ſupererat hæc ars maligno hominum ingenio, nam conſtat, vt ſæpe ait Cardanus, ad deſtructionem naturæ plus poſſe artem, quàm naturam.

In hanc ſententiam venit Capiuacius lib. 6. cap. 36. dum definiuit febrem peſtilentem eſſe febrem productam à veneno calido putrefaciente: ſed ipſe dat principatum veneno, cum anceps ſim, an debeatur putredini: inſuper ſuperaddit putrefacienti calidum, cum tamen conſtet omne putrefaciens per ſe eſſe calidum; nam frigida per ſe non putrefaciunt, dum infrigidant, & congelant, vt patet in piſcibus frigore exſiccatis, & in membris, & cruribus frigore excidentibus, quæ durante actione frigoris in proprio temperamento corrumpuntur, & non putreſcunt. Inſuper propono Capiuacio hominem ictum veneno calido putrefaciente; vt veneno Dryini, aut leporis marini cum febre, & horrendis ſymptomatibus, & quæro, an gradus ille veneni putrefacientis ſit natura æqualis ad gradum veneni in peſte bubonia: ſi eſt æqualis: & quare ad ictos talibus venenis nō ſequuntur peſtes? ergo in peſte bubonia eſt aliquid plus, quod non ſatis explicatur per venenū calidum putrefaciens, ergo fortaſſe melius explicabitur ſi dicemus, peſtem hanc eſſe ab analogia ſummæ putredinis, & veneni calidiſſimi in homine.

Quartum genus Peſtis ex cibis.

EXpedio quartum genus peſtis, quod eſt è cibis, & ſecundum hoc genus Cæſar ait, Maſsilienſes leguminibus putridis cibatos peſte cōſumptos; talem refert Auicēzoar, in qua homines coacti ſunt oſſa è ſepulchris eruere, & medullas ſuggere; talē expertæ ſunt hę vrbes, & Bonon. ann. MDLXXXXI. quæ plures, vt ſupputant curioſi, extinxit, quam hæc præſens, & quod tales frequenter fuerint, expreſsè Galenus in libro de cibis boni, & mali ſucci ait, deficientibus cerealibus ruſticos coactos edere herbas, & radices incognitas; vnde vere, & æſtate facta eſt peſtilentia, in qua moriebantur tàm qui bona, quàm

qui mala victus ratione vſi erãt: & hoc eſt probabile; quoniam quamuis hæc ſpecies peſtis ita ab alijs deſtincta ſit, vt per ſe minimum contagij afferat periculum, poteſt tamen à multorum corruptione cadauerum aer alterari, & primũm, & ſecundum genus peſtis cauſare, & fortaſſe etiam tertium; illa etiam peſte captus eſt Galenus, & Chriſtiani, quia profugi in villis degebant, ità diſponente Deo, ſeruati.

Obſeruatur in hac peſte multitudinem potiùs mori ex eſu prauorum ciborum, quàm ex fame, & in 2. epid. veſcentibus eruo genua dolebant, & ex aſsiduo leguminum vſu crurum impotentes facti ſunt, & ego noui duos fratres, qui crurum impotentes facti ſunt; quia de ſero panem cum eruo comederant temporibus ſuperioribus famis, & ſunt, qui calceos conſuunt in via S. Stephani. Qualitas autem ciborum cauſantium peſtem, ſunt omnia optima, & præcipuæ frumenta, vina, olea, carnes, cum putreſcunt, ita vt meliora fiant peiora, & præſertim legumina immatura, fungi, anguillæ, ranæ, & obſeruauit Cardanus anguillas, fungos, ranas poſſe etiam talem putredinem cauſare, quæ creet buboniam peſtem: cuius ego cauſam puto, quia iſta non ſolum putredinem, ſed & venenum in corpore poſſunt gignere, è quorum miſcella talis peſtis procreatur.

Aliquando etiam vagatur hæc peſtis inter illos, qui ſine fame putridis delectantur, vt in Germania caſeo putrido, in quo vermes, & piſcibus, vt Stocfis, ſi putreſcant, vel ſi vtamur piſcibus, & carnibus recens ſalitis, & putreſcentibus, vel nimia herbarum copia; & cum hoc fiat inter plebem, hinc plebs tali peſte cum tumoribus melancholicis capitur. Sed delicati, qui cibis optimis nutriuntur, ſi in morbos incidãt putridos, capiuntur febre, cum peticulis, quia ibi putreſcunt humores bilioſi, quos optima vina, & cibi optimi ſucci putreſcentes creant; & annis ſuperioribus his febribus multi extincti ſunt, præcipuè ciues commodi; ſed pauperes, qui illo anno pro pane pomis veſcebantur, ſeruabantur; quia nec poma ſunt tam peſsimi cibi, vt execrantur indocti: nam commenſuratio boni cibi per multa principia attendenda eſt, & pſitacos longiſsimæ vitæ pomis, vt plurimum nutritos video, & ſunt illi è genere coruorum eſt Indiæ coloratorum. Quid autem dixiſſent, ſi illo anno con-

tigiſ-

Digitized by Google

tigiſſet peſtis, qui noſtram hanc volebant in principio curare, tanquam è malis cibis oriundam?

Si hęc peſtis non tranſeat in alia genera, populariter non vocatur peſtis: ſed aiunt populum fame mori: ſi cõtingant tumores in corpore non erunt tantę malignitatis, vt in bubonię peſte, quia venenoſitas deeſt, & ſunt ſolum ex exquiſita putredine; & cum deſit ſtimulus communicationis facilis, cum aliqua circumſcriptione poſſumus viſitare ęgros, & ſumma curationis ſtat in humorum euacuatione, in reſtauratione per optima vina, & cibos, & abſtinentia à miſsione ſanguinis; & de hoc genere peſtis intelligũtur maximè auctoritates Doctorum probantium euacuationes, & improbantium venęſectionem.

Quòd Peſtis Bononiæ fuerit è genere Bubonia peſtis ex Contagio.

PRopono de peſte Bononię, non quia ego non credam, vniuerſum genus peſtis vagatę per Lombardiam, & Vrbes Venetas, non fuiſſe idem: ſed quoniam experimur quàm fallax ſit de alienis ſcribere, dum nitimur relationibus, quandoq; à diuerſa ſentientibus diuerſimodè relatis: tum quia quamuis apud nos ſolùm genus tertium bubonię peſtis fuerit, non ſum tamen vſq; adeò certus, ne alibi fuerit cum mixtura alterius generis, vt fortaſſe potuit eueniſſe Mantuę cum aliqua aeris alteratione, ob aquas illas, & frumẽta, ob multitudinem ruſticorum in vrbem confugientium, & commorientium, ob ſorditiem obſidentis exercitus: vt fortaſſe potuit eſſe Florentię conſpirantibus ad aeris corruptionem auſtris, & Arni inundationibus: vt fortaſſe potuit eſſe Venetijs ob anguſtiam habitationum, ob habitantium frequentiam, ob viarum anguſtias, quę ſunt in cauſa, vt vapores peſtiferi pluribus communicẽtur, & ex pluribus confertim infectis, & peſtem ſpirantibus, aer etiam communis in aliqua parte inquinamenta contrahat.

Quod ergo noſtra peſtis fuerit talis, qualis explicata eſt in tertio genere conſtante è putredine, & veneno, patuit per ſua ſigna, per fœtorem exeuntium, per mutationem vultus, per ſe-

na ſymptomata intus, per modum inuaſionis; quando vnus in vna familia infirmari cęperat, deinde alter, & alter: patuit ex periodis morbi; nã vt in pluribus mors ſuperueniebat in quarta, & priuſquàm infirmi morerentur, videbantur quieſcere per duas, vel tres horas ſedentes in lecto: patuit ex tumoribus, & carbonibus huic peſti frequẽtibus. Et quamuis ad alias etiam putredines citra peſtem; & in peſte ad reliqua tria genera peſtis ſequantur bubones, & puſtulæ, quæ ad venena etiam conſequuntur: inſignitur tamen hæc peſtis nomine buboniæ, quia bubones apparentes in illa ſunt, non ſolum ex inſigni putredine, ſed etiam ex inſigni veneno: vnde facillimè communicatur, & propter hoc vulgò appellatur Contagium, ſcilicet à cauſa externa effectrice propagationis.

Quod fuerit per contagium propagata, euidens fuit illis, qui in principio obſeruarunt familias, & domos, in quas ingreſſa eſt, quæ obſeruatio non tam exquiſitè fieri potuit in medio peſtis, vbi ob multitudinem infectorum incertum erat vnde prodiret: euidens fuit illis, qui in villis degebant; quia cũ domus ruſticorum ſint diſperſæ, optimè cognoſcebatur, quomodo in aliquas domos intraret, & vniuerſis familijs extinctis propagaretur in hæredes aliunde accurrentes, qui ſæpè in hæreditatem peſtis ſimul intrabant: patuit ex aliquibus locis præſertim in montibus ſeparatis, quò perueniens peſtis, certum erat, à quò deferretur: patuit in varijs familijs, in multis Oppidis per ſolam cuſtodiam ſeruatis, inter fines aliorum infectorum: fuit euidens è multitudine mortuorum miniſtrantium infirmis, vt Medicorum, Chirurgorum, ita vt quidam Medicus egregiè reſponderit cuidam petenti aliquod præſeruatiuum peſtis: Pete hoc ab aliquo legũ Doctore, non Medicinæ, quia ipſi habẽt: iam .n. media pars noſtrûm extincta eſt, & nemo è tot legum Doctoribus perijt. Non conſumam verba in re notiſſima: ſatis eſt, ſi dixero in medio huius vrbis, tam multa Monaſteria Virginum, & Conuentus Monachorum per ſolam cuſtodiam graſſante extra illa mœnia peſte, fuiſſe ſeruata: quod ſi in aliques Conuentus ingreſſa eſt; certum fuit à quò fuerit deportata: Affero ſolum magnam Mendicantium Domum intra Vrbem, vbi ſeruantur ſupra numerũ ducentorum pauperes, præſer-

ſertim iuuenes: modo conſtat, è centum, & pluribus diſcholis ſeruatis ſub arctiori cuſtodia, nec vnum tempore peſtis perijſſe: ex alijs centum in domo manentibus, quibus conuerſatio cum externis interdicta erat, nec vnus perijt: ſed ex ſexdecim grandioribus, quia vel vt alijs miniſtrarent, vel ad ſuas officinas extra domum ibant, duo mortui ſunt: In loco verò mēdicantium fęminarum extra vrbem in Sancto Gregorio diu durauit præſeruatio à peſte: magno pene miraculo cum graſſaretur tam feraliter per vrbem: ſed mala fortuna (vt referunt) attulit illuc quendam illius loci ſacerdotem, qui oſtentabat torquem ab aliquibus mortuis hęreditario iure habitum; qui dum per fęminarum manus tranſiret perniciosior monili Harmoniæ fuit; ita vt ad numerum ſupra 200. circiter peſte perierint: & hic obſeruatę, metalla, & aurum peſtem contrahere, & inferre contagium; vel propter ſordes, & inquinamenta adhęrentia, vel etiam propter vapores, & ſpiritus, qui ab infecto reſpirati adhęrent ad corpus metalli frigidum, denſum, & leue, & conſtipantur, vt euidenter apparet in ſpeculis: vnde fallitur Mercurialis, putās frigus metalli extinguere vapores, cum illos potius conſtipet, ac denſet. Obſeruate curam aliquatum ex his fœminis demādatam eſſe cuidam Panormitano, qui in peſte Sicula ter, aut quater ſeruatus fuerat, & hic etiam peſte correptus, mortuo ſeruo liber euaſit: ſed iſte infęlicisſimus fuit in peſte ab alijs profliganda, quamuis ratione proprij temperamēti in propria fuerit fortunatus: cæterum nec norat literas, nec praxim, nec miniſteria chirurgica, quæ noſtri barbitonſores maxima cum dexteritate exequebantur: gerebat in ſcatula argentea vnguētum roſaceum ægyptiacum, & dabat puluiſculum per os aſſumendum, qui erat è duobus granis lauri contuſis, & fatua plebs credebat primis diebus, hunc habere arcanum contra peſtem, & doſim huius pulueris vendebat (vt audio) pro vncia argenti: ſaltem miſcuiſſet cum his baccis terram ſigillatam, ex præſcripto Auicennæ; quia grana lauri ſola non ſunt immunia à ſuſpicione veneni, ex Cardano lib. de Venenis. fuit tamen Doctor ſcribens Ferrariæ, quæ vix diſtat à nobis ſpatio, quod tribus horis poteſt confici, qui ſcripſit Medicum Panormitanum longè omnium ſapientisſimum, mille aureorum ſingulo quoq; menſe

hono-

honorario accerſitum, ex cuius ope, & ſciẽtia, magno artis medicinæ ſplendore, non modicam vtilitatem infectis extractam: videte quam fallax ſit de alienis loqui: laus .n. quæ poſt Deum debetur Eminentiſsimi Spadæ, & noſtrorum Ciuium charitati, & vigilantiæ, adſcripta eſt viliſsimo ſuæ vitæ venditori, de quo cum quererentur aliqui, quod omnes in eius cura perirent, reſpondit ſe indigere Medico Phyſico: nam ipſe ſolum ſciebat vngere; erat.n. diſcipulus diſſeminatoris peſtis in Sicilia.

Quantum ad tempus, apparuit Peſtis Bononiæ ad initium Maij: diſputatum fuit à ceruicoſis Medicis per totum menſem, antequam concluderetur eſſe peſtem, quo tempore maximè per vrbem propagata eſt. certum eſt non niſi per contagium cõmunicatam ab infectis hominibus, aut pannis venientibus Parma, & Mediolano iam ante infectis: nam conſtat quendam mulionem venientem Parma mortuum ad Caſtrum Francum, cum tumore ſub axillis ad finem menſis Martij, ex quo tempore ibi peſtis, tunc malè cognita, originem ſortita eſt, & prius ibi moriebantur quã Bononiæ; vnde potuit facillimè in vrbem trãsferri: certum etiam eſt & ante id tempus rumores de peſte percrebuiſſe, & Mediolani, & Parmæ, & in exercitu Cæſareo. Quis tamen malæ fortunæ auctor fuerit, vt Bononiam deferretur, odioſum eſt quærere, & incertum vehementer aſſerere, & nobis inutile.

De contagio loquentes moderni dilatãt fimbrias, cum multis diſtinctionibus, quæ ſortiuntur imaginem confuſionis: ſat eſt, ſi dixero & contagium rei, vaporis, & fomitis, cognitũ antiquis in multis morbis, vt in lepra, vt patet Leuitici xiij. & præſertim in peſte ex Ariſtotelé 1. problematum: & reſolutiuè dico. Quid eſt contagioſius igne, qui meſsium campos depopulatur, & incidens in pabulum, vires acquirit eundo, & incidens in ſilnas virides, illas tandem ſibi præparat, & deſtruit? ſic vnicum pomum integram putrefacit maſſam, & morbida facta pecus totum corrumpit ouile: ſic Philoſophus vltimo ſecundi Poſteriorum dicebat, vno ſtante alter ſtetit, poſtea alter; quo vſq; in principium veniant, & ſic totus ſtetit exercitus: Qui ergo aliam cauſam efficientem præter contagium in hac peſte quærũt, mihi videntur parum mente, & ſenſu conſtare: quia eſt quodam ſimile vniuerſali Platonico, quærere cauſam vniuerſalem in his,

cur

Digitized by Google

cur ſtet exercitus totus, cur maſſa pomorũ putreſcat, cur ignis integram abſumat meſſem, cum ſufficiens ſit illud particulare, quod ab vno in alterum procedit ad vniuerſalitatem. Inſuper non puto illos vnquam vidiſſe miſcellam ſanorum cum infirmis, vt ego obſeruaui. Fortè fortuna primis diebus incidi in viam dictam campum de Bobus, in qua multitudo pauperum accurrebat ad videndam rem inſolitam, nempè lecticulam, in qua deportandus erat infirmus ad Lazaretum: appropinquabant pueri, & puellæ, & rem nouam contingere gaudebant, aliqui colloquentes, cum infirmo ſpiritum ore captabant, aliqui famulati ſunt, vt lecticulam intraret, multi ſeruierant in domo, nam cum pauperes famulum non habeant, pro famulo pauperum multitudinem habent, & ſibi inuicem opitulantur: omitto, qui domum ingreſsi ſunt, vt aliquid ſuffurarentur: hic fuit finis: aliquæ fœminæ diù altercatæ criminando, & negando, ſe in illam domum fuiſſe, & nihil contrectaſſe; tandem abierunt ſingulæ in domos ſuas: & poſtea miramur, ſi in illa via omnes ferè familiæ extinctæ ſint: imò bis illæ domus remanſerunt vacuæ, quia poſt primos infectos mortuos, illuc repoſuerunt pauperes, per vrbem vagos, qui metu contagij non admittebantur in locum propinquum mendicantium, & rurſus illi perierunt: ſunt tamen viri alias ſapientes, qui non reſpicientes ad hęc ſenſata, vitio malignitatis humanæ arcana libentius, & incerta credunt, & quærunt ſeminaria per aërem volantia.

Quid communicatur per contagium? Reſpondeo communicari, vel qualitatem cum materia, vt vaporem, & ſpiritum, & ſubſtantiam ſubtiliorem: vel qualitatem ſine materia; neq; hoc ſecundum videatur durum aliquibus, vt Mercuriali: nam dicant, quomodo frigus communicatur vino in vaſe clauſo, dum inter glaciem vas ponitur? non reſpondetur communiter, frigus gigni in vaſe, & vino? & quis negabit qualitatem peſtiferam per ſimplicem contactum corporis peſtilentis facillimè communicari poſſe, etiam ſine vlla communicatione materiæ? non quia qualitas de ſubiecto in ſubiectum permeet; ſed quia ſimilis qualitas à ſimili generatur, & educitur ex illo ſubiecto, etiam ſi nulla inquinamenta materialia adhæreant. Verum tamen eſt, vt in pluribus inquinamenta ex contactu corporum,

Digitized by Google

aut pannorum contactu, & præcipuè exhalitu, deferente halitum aere tanquàm medio tactus, nam obiectum tactus, vt calor ignis agit in manum, & mediante aere, & immediatè ſuperpoſitus manui: vnde ſenſus tactus, & per medium externum, & per connatum ſentit.

Reuiuiſcet hæc peſtis hoc vere, & æſtate? Reſpondeo, cum aer non ſit magis cauſa huius peſtis, quàm vitrum ebrietatis, ſit, vt nil ab aeris mutatione ſit timendum: quia calor aeris non eſt ſufficiens creare peſtem in aliquo, poterit tamen efficere, vt peſtilens vapor in aliquibus culcitris, & laneis infectis antea ſopitus frigore, excitetur & tangentes inficiat. Quod ſi aliquis inficiatur, & ſubitò ſeparetur, & claudatur in domum, ceſſabit peſtis, & vrbs ſeruabitur. Dum hæc ſcribo in domo cuiuſdam Reuer. de Puteo fœminæ miſcentes pãnos ex infecta domo traſportatos, peſtem contraxerunt, & mortuæ ſunt: duæ ſeruæ famulantes & ipſæ mortuæ ſunt: ipſe Reuerendus benè purgatus in ſeparata domus parte habitans mortuus eſt: nepos ad hæreditatem accurrens captus peſte moritur: quia tamen iſti prohibiti ſunt commercio, non eſt diffuſum in alias domos contagium. In hoc vigilat cura Eminentiſsimi Spadæ, & Ciuium: hoc ſolùm eſt peſtis ſecretum; cætera ſunt leuia aut deliramenta inſipiẽtium, aut furum technæ, qui ſuffuratis rebus è Lazaretis contagium ineſſe negant: Nec eſt timendum, quin vna, aut altera domo in vrbe clauſa à vicinis prohibeamur commercio; quia peius eſt diſsimulare principia, nec prohibere quin ſerpãt, quam aliquarum domuum clauſura reliquam vrbem declarare ſinceram. Hoc fecerunt Ferratiẽſes ſuaſu Medici Iuuenis Aſtolphi, Qui primis diebus peſtem proclamando, fuit in cauſa, vt primi infecti ſepararentur; & aliquibus ſeparatis tota vrbs ſeruaretur in medio vicinarum peſte laborantium: Ridiculum erat videre multitudinem infirmorũ Noſocomij tendentem ad Lazaretũ, cum irriſione Medici ob cauſam vnius, aut alterius infecti: ſed citò lacrimoſum fuit neminem ferè vidiſſe reuerſum. Et quamuis cõiectus in carcerem fuerit, quia dicebãt æmuli, hunc temerarium agere, vt ciuitas prohiberetur commercio cæterarum: tandem tamen erutus carcere, vt liberator patriæ honoratus eſt. Quamuis poſtea in curatione peſtis in ſuà patria Nuuolariæ mortuus ſit.

De

VIderetur inutilis populo libellus, ni duo verba de curatione dicerẽtur, ego verò nil inutilius puto, quam receptas ſcribere, quia falſum puto, quod opinatur populus; & ait Cardanus, quod experientia comprobatum eſt; veluti cuilibet veneno ſuum conuenit Alexipharmacum, ita vnicuiq; peſtis ſpeciei, quo inuento omnes ferè ſanantur: ſed nec ratio, nec experientia hoc nos docuit: quia Peſtis hæc eſt è genere illorum venenorum, quæ dicebat Dioſcorides lib. 6. vel ob impetum actionis, vel ob diſpoſitionem patientis eſſe immedicabilia: hoc autem præ cęteris verificatur in hac peſte, in qua medicamenta frigida calorem internum perimunt, & ad putredinem præparant, & calida faciunt venenum calidum magis penetrare, & faciliùs perimere: Vnde veriſsimum puto, quod à multis obſeruatum eſt, omnia alexipharmaca calida in hac peſte maximè obfuiſſe, & temperata parum profuiſſe.

Nec velim putetis eſſe medicamẽta agẽtia à tota ſubſtantia, quæ ſint ſpecificè contraria formæ veneni, & peſtis, non ratione qualitatum, ſed formæ, quia forma non cõtrariatur formæ, ratione formæ, ſed ratione qualitatum: & falſum eſt, quod dicunt caliditatem in pipere, & ſinapi eſſe organa formæ minimæ actiuitatis; vnde parum agunt: ſed caliditas in Euphorbio, & Theriaca eſt inſtrumentum formæ maximę actiuitatis; vnde vehementer agunt, & quandoq; non ſuperantur à natura: falſum inquam eſt; quia euphorbium, & cantharides non ſuperantur à natura, quia præter caliditatem habent alias etiam qualitates materiales, vt qualitates terreas, ſubtiles, ex quibus caliditas ſortitur vim atriùs agendi, & meliùs diceretur eſſe mixturam aliarum qualitatum ſortientium ſuam vim agendi, & illam modificantium ex vario ſubiecti temperamẽto, vnde procedũt, præterquamquod aliqua ex his ſua materialitate agũnt parti adhærendo: piper autem, & ſinapi ſuperatur, quia caliditas eſt vnita parti tenui facilè diſsipabili; modo conſtat tenuitatem partium, & ſimilia eſſe accidentia, non ſubſtantias: ergo Theriaca prodeſt euphorbio, non quia ſit calida; ſed quia ſecum habet cum caliditate adiunctas alias qualitates repugnantes

qualitatibus euphorbij: & hoc maximè obſeruandum eſt in remediorum formulis; & in peſte, vbi aliquando plus affert nocumenti illa qualitas manifeſta caliditatis, verbi gratiâ in Theriaca, quam poſtea afferant adiumenti reliquæ qualitates, quæ non ita cognitæ veniunt cum illa caliditate manifeſta.

Neque experientia in hoc peſtis genere aliàs aliter docuit; nam ſcripta grauiorum Doctorū ſunt admodum ſobria, & vel nihil promittunt, vel parum; quod non faciunt ſcripta vulgarium tutè, & citò curationem, & præſeruationem promittentium. conſtat.n. in alijs peſtibus multa millia hominum mortua, quamuis retulerint repertū remedium: conſtat, qui medicamenta generandæ peſtis componunt, ſola ſe cuſtodia præſeruare. conſtat omnia remedia in hac, & alijs experta, & reuelata ſæpiſsimè ſuo fine fruſtrata; ſed cauſa erroris eſt, quia quilibet medicus habet inclinationem ad quædam, vt Theophraſtus ad Carduum, Galenus ad ſuam Theriacam, & terram lemniam, de qua dicebat ſeruatos aliquos ex illis, qui ipſam ſumpſerant, & ego vidi multos ſeruatos, qui nihil ſumpſerunt, & varios cum varijs medicamentis: ſed quilibet ſua profert, & laudat, & præcipuè ſi non reuelet, quia reuelata apparent leuia, & fidem cum viribus perdunt: præterquamquod fama acquirit vires eundo, & Ferrariæ ſcriptum eſt Electuariū maius Quercetani cōtra peſtem multos ex nobis ſeruaſſe, quod nunquam Bononiæ inter tot Medicos audiui relatum: & firmiter credo id, quod vnum remedium præſtat: id alterum pari proportione quantum ad qualitates compoſitum præſtare: & hæc eſt methodus medēdi, cætera verò occulta, vt plurimum falſa ſunt: vnde benè ſcripſit Doctor Ferrarienſis oleum Arcanum Ferrariæ maximè obfuiſſe, quia plus egit ſua caliditate aperta calefaciendo, quam occulta præſeruando, & his oleis multi inuncti lapſi ſunt in ſepulcrum.

De Præſeruatione.

ERgo nulla legitima præſeruatio præter fugam; & ſaluabitur qui fugerit ab eis, inquit in peſte Ezechiel cap. 7. ea.n. eſt actiuitas veneni peſtiferi, vt irruens in homines optimi temperamenti, & exquiſitè purgatos citò perimat. vnde

purgatio non præſeruat, niſi communiter: ſic eſt inſtituendi proportionaliter, ſecundũ regulas generales methodi de tuenda ſanitate; maximè verò purgandæ ſunt fœminæ, quibus ſuppreſsi mẽſes appatatum putredinoſum, & veneficum ad peſtem facillimè recipiendam præſtant. Cæterum quæret aliquis, an quemadmodum eſt aliquod temperamẽtum in quibuſdam hominibus, quod peſti reſiſtit, vt vidimus in multis ſeruis Lazareti, inter mediam peſtem illæſis, ita nos medicamentis poſſemus tale temperamentum in ſingulis creare.

Quæſitum eſt arduum. Reſpondeo, conſiderandum, quod ſit hoc temperamentum, quod reſiſtit peſti. Proculdubiò non eſt temperamentum temperatiſsimum hominis: nam cum medium illud complexionis elemẽtaris, in quo ſpecies aliqua ſeruari poteſt, tantam habeat latitudinem, quanta poteſt eſſe diſſimilitudo indiuiduorum illius ſpeciei, fit, vt indiuidua ad extremum temperamenti temperata, vt ad exceſſum calidi, aut ſicci, non cenſeantur temperata; nec eſt inconueniens, aliquos homines in extremitatibus ſui temperamenti collocatos magis accedere ad complexionem elementarem bouis, & equi, quam ad complexionem temperatam hominis: nam temperata hominis complexio eſt illa, in qua primæ qualitates mutuò ſe frangunt in eo termino, quo reſultat potiſsima diſpoſitio corporis, ſecundum omnem modum ſuæ ſpeciei debitum: & in vna ſpecie abſolutè temperatum eſt, quod reſpectu omnium indiuiduorum ſuæ ſpeciei eſt tale: vnde ſequitur, vt operationes perfectiſsimæ talis ſpeciei è tali prodeant temperamento: propriæ autem operationes hominis ſunt, rectè agere, & intelligere. modò conſtat tali perfectione temperamenti non fuiſſe, qui ſeruati ſunt: multi.n. temperatiſsimi actionibus, & temperato corpore, & vt plurimum ſanguinei, rubicundi, & ſaniſsimi iuuenes citò perierunt: alij autem imitantes complexionem bouis, & aſini ſeruati ſunt, & prædici temperamento frigido, vt ſenes. ergo temperatiſsimi homines complexione non reſiſtunt peſti.

Hinc ſoluitẽ dubium, propter quid peſtis è ruſticis in boues contrectatos, aut in equos, & aſinos, & canes non tranſierit: nam conſtat talia animalia contrectata, nõ offenſa peſte; quamuis

calorem; & humiditatem minus acrem putredinis, & veneni putredinoſi; quoniam hoc prouenit è proportione miſcellę: de inde dato, quod calor ille putredinoſus multum diſsiparetur à vehemētia veneni calidiſſimi, adhuc tamen remanet ſemper ſedimentum, & fundamentum putredinis ſeruans analogiam ſui principij. Propagatur autem per vnguenta, olea, & lanas, quia hæc plus retinent, plus adhærent, & magis exhalant.

5 Tandem, dicet aliquis, ſecundum hæc iacta principia, omnis peſtis bubonia erit arte facta. Reſpondeo poſſibile eſſe, vt in humano corpore ſummæ generentur putredines, quę imitentur naturam veneni putredinoſi: poſſibile eſſe, vt in aliquibus hominibus generentur venena, quæ imitentur vires acrium venenorum, vt aiunt, ex accenſa bile irati hominis, & de corruptione ad igneam naturam vergēte in excrementis, & humoribus, & præcipuè vtriuſq; bilis, & eſt expreſſa doctrina Galeni 6. de locis affectis 6. & ſectione 6. Aphor. & ſecundum hæc duo ſuppoſita, ſi coaleſcant aliquādo in vno ſubiecto naturali ſumma putredo, cum ſumma venenoſitate, naturaliter fiet hęc peſtis: ſed hoc tam difficilè eſt, vt ferè nunquam contingat: videmus quidem, & experiuntur practicantes medici in vrbibus amplis aliquando in aliquo vnius familiæ tam diram putredinem accendi, vt reliquos eiuſdem familiæ, & aſſiſtentes ſecum trahat, & tota illa domus ſupplantetur: vidimus nos hoc annis ſuperioribus euenisse in familia cuiuſdam Librarij. Tales putredines frequēter in domibus ſordidis pauperū, & præcipuè in ſordidis hypocauſtis Germaniæ, inter plebem repeiiuntur: ſed non ſunt tantæ vehementiæ, vt poſtea per minimum contactum panni, aut halitus contrahantur, & fiant peſtes cōmunes; quia vt ego puto, huic putredini ſtimulus acris veneni deeſt, qui longè lateq; putredinem, eiuſq; vapores diſpergit. Videmus etiam ſæpe aliquos venenis correptos acribus; ſed mors ipſorum, aut nullos, aut paucos inficit, niſi ſint venena è genere putrido valde contrectata, & illa etiam per paucos tranſeunt, nec cauſant peſtes; quia .ſ. talibus venenis putridis ſtimulus, & acrimonia facilis communicationis deeſt, & acribus deficit fundamentum proportionatæ putredinis. Immo hoc rarò inter homines naturæ clementia euenit, quia ſi in corpore noſtro venena gene-

rantur

Digitized by Google

tantur acria, acrimonia veneni, quę eſt ſtimulus facilis diffuſionis diſſipat putredinem, quia ſummè calida, & ſicca diſſipant mediocriter calida, & humida. Ergo inuenienda ſupererat hæc ars maligno hominum ingenio, nam conſtat, vt ſæpe ait Cardanus, ad deſtructionem naturæ plus poſſe artem, quàm naturam.

In hanc ſententiam venit Capiuacius lib. 6. cap. 36. dum definiuit febrem peſtilentem eſſe febrem productam à veneno calido putrefaciente: ſed ipſe dat principatum veneno, cum anceps ſim, an debeatur putredini: inſuper ſuperaddit putrefacienti calidum, cum tamen conſtet omne putrefaciens per ſe eſſe calidum; nam frigida per ſe non putrefaciunt, dum infrigidant, & congelant, vt patet in piſcibus frigore exſiccatis, & in membris, & cruribus frigore excidentibus, quæ durante actione frigoris in proprio temperamento corrumpuntur, & non putreſcunt. Inſuper propono Capiuacio hominem ictum veneno calido putrefaciente; vt veneno Dryini, aut leporis marini cum febre, & horrendis ſymptomatibus, & quæro, an gradus ille veneni putrefacientis ſit natura æqualis ad gradum veneni in peſte bubonia: ſi eſt æqualis: & quare ad ictos talibus venenis nō ſequuntur peſtes? ergo in peſte bubonia eſt aliquid plus, quod non ſatis explicatur per venenū calidum putrefaciens, ergo fortaſſe melius explicabitur; ſi dicemus, peſtem hanc eſſe ab analogia ſummæ putredinis, & veneni calidiſsimi in homine.

Quartum genus Peſtis ex cibis.

EXpedio quartum genus peſtis, quod eſt è cibis, & ſecundum hoc genus Cæſar ait, Maſsilienſes leguminibus putridis cibatos peſte cōſumptos; talem refert Auicézoar, in qua homines coacti ſunt oſſa è ſepulchris eruere, & medullas ſuggere; talē expertæ ſunt hę vrbes, & Bonon. ann. MDLXXXXI. quæ plures, vt ſupputant curioſi, extinxit, quam hæc præſens, & quod tales frequenter fuerint, expreſsè Galenus in libro de cibis boni, & mali ſucci ait, deficientibus cerealibus ruſticos coactos edere herbas, & radices incognitas; vnde vere, & æſtate facta eſt peſtilentia, in qua moriebantur tam qui bona, quam

 qui

qui mala victus ratione vſi erãt: & hoc eſt probabile; quoniam quamuis hæc ſpecies peſtis ita ab alijs deſtincta ſit, vt per ſe minimum contagij afferat periculum, poteſt tamen à multorum corruptione cadauerum aer alterari, & primum, & ſecundum genus peſtis cauſare, & fortaſſe etiam tertium; illa etiam peſte captus eſt Galenus, & Chriſtiani, quia profugi in villis degebant, ità diſponente Deo, ſeruati.

Obſeruatur in hac peſte multitudinem potiùs mori ex eſu prauorum ciborum, quàm ex fame, & in 2. epid. veſcentibus eruo genua dolebant, & ex aſsiduo leguminum vſu crurum impotentes facti ſunt, & ego noui duos fratres, qui crurum impotentes facti ſunt, quia de ſero panem cum eruo comederant temporibus ſuperioris famis, & ſunt, qui calceos conſuunt in via S. Stephani. Qualitas autem ciborum cauſantium peſtem, ſunt omnia optima, & præcipuæ frumenta, vina, olea, carnes, cum putreſcunt, ita vt meliora fiant peiora, & præſertim legumina immatura, fungi, anguillæ, ranæ, & obſeruauit Cardanus anguillas, fungos, ranas poſſe etiam talem putredinem cauſare, quæ creet buboniam peſtem: cuius ego cauſam puto, quia iſta non ſolum putredinem, ſed & venenum in corpore poſſunt gignere, è quorum miſcella talis peſtis procreatur.

Aliquando etiam vagatur hæc peſtis inter illos, qui ſine fame putridis delectantur, vt in Germania caſeo putrido, in quo vermes, & piſcibus, vt Stocfis, ſi putreſcant, vel ſi vtamur piſcibus, & carnibus recens ſalitis, & putreſcentibus, vel nimia herbarum copia; & cum hoc fiat inter plebem, hinc plebs tali peſte cum tumoribus melancholicis capitur. Sed delicati, qui cibis optimis nutriuntur, ſi in morbos incidãt putridos, capiuntur febre, cum periculis, quia ibi putreſcunt humores biliosi, quos optima vina, & cibi optimi ſucci putreſcentes creant; & annis ſuperioribus his febribus multi extincti ſunt, præcipuè ciues commodi; ſed pauperes, qui illo anno pro pane pomis veſcebantur, ſeruabantur; quia nec poma ſunt tam peſsimi cibi, vt execrantur indocti: nam commenſuratio boni cibi per multa principia attendenda eſt, & pſitacos longiſsimæ vitæ pomis, vt plurimum nutritos video, & ſunt illi è genere coruorum ex Indiis coloratorum. Quid autem dixiſſent, ſi illo anno contigiſ-

Digitized by Google

rigiſſet peſtis, qui noſtram hanc volebant in principio curare, tanquam è malis cibis oriundam?

Si hęc peſtis non tranſeat in alia genera, populariter non vocatur peſtis: ſed aiunt populum fame mori: ſi cõtingant tumores in corpore non erunt tantę malignitatis, vt in bubonia peſte, quia venenoſitas deeſt, & ſunt ſolum ex exquiſita putredine; & cum deſit ſtimulus communicationis facilis, cum aliqua circumſcriptione poſſumus viſitare ęgros, & ſumma curationis ſtat in humorum euacuatione, in reſtauratione per optima vina, & cibos, & abſtinentia à miſsione ſanguinis; & de hoc genere peſtis intelligitur maximè auctoritates Doctorum probantium euacuationes, & improbantium venęſectionem.

Quòd Peſtis Bononię fuerit è genere Bubonię peſtis ex Contagio.

PRopono de peſte Bononię, non quia ego non credam, vniuerſum genus peſtis vagatę per Lombardiam, & Vrbes Venetas, non fuiſſe idem: ſed quoniam experimur quàm fallax ſit de alienis ſcribere, dum nitimur relationibus, quandoq; à diuerſa ſentientibus diuerſimodè relatis: tum quia quamuis apud nos ſolùm genus tertium bubonię peſtis fuerit, non ſum tamen vſq; adeò certus, ne alibi fuerit cum mixtura alterius generis, vt fortaſſe potuit eueniſſe Mantuę cum aliqua aeris alteratione, ob aquas illas, & frumẽta, ob multitudinem ruſticorum in vrbem confugientium, & commorientium, ob ſorditiem obſidentis exercitus: vt fortaſſe potuit eſſe Florentię conſpirantibus ad aeris corruptionem auſtris, & Arni inundationibus: vt fortaſſe potuit eſſe Venetijs ob anguſtiam habitationum, ob habitantium frequentiam, ob viarum anguſtias, quę ſunt in cauſa, vt vapores peſtiferi pluribus communicẽtur, & ex pluribus conſertim infectis, & peſtem ſpirantibus, aer etiam communis in aliqua parte inquinamenta contrahat.

Quod ergo noſtra peſtis fuerit talis, qualis explicata eſt in tertio genere conſtante è putredine, & veneno, patuit per ſua ſigna, per fœtorem exeuntium, per mutationem vultus, per ſę-

na ſymptomata intus, per modum inuaſionis; quando vnus in vna familia infirmari cœperat, deinde alter, & alter: patuit ex periodis morbi; nā vt in pluribus mors ſuperueniebat in quarta, & priuſquam infirmi morerentur, videbantur quieſcere per duas, vel tres horas ſedentes in lecto: patuit ex tumoribus, & carbonibus huic peſti frequētibus. Et quamuis ad alias etiam putredines citra peſtem; & in peſte ad reliquā tria genera peſtis ſequantur bubones, & puſtulæ, quæ ad venena etiam conſequuntur: inſignitur tamen hæc peſtis nomine buboniæ, quia bubones apparentes in illa ſunt, non ſolum ex inſigni putredine, ſed etiam ex inſigni veneno: vnde facillimè communicatur, & propter hoc vulgò appellatur Contagium, ſcilicet à cauſa externa effectrice propagationis.

Quod fuerit per contagium propagata, euidens fuit illis, qui in principio obſeruarunt familias, & domos, in quas ingreſſa eſt, quæ obſeruatio non tam exquiſitè fieri potuit in medio peſtis, vbi ob multitudinem infectorum incertum erat vnde prodiret: euidens fuit illis, qui in villis degebant; quia cū domus ruſticorum ſint diſperſæ, optimè cognoſcebatur, quomodo in aliquas domos intraret, & vniuerſis familijs extinctis propagaretur in hæredes aliunde accurrentes, qui ſæpè in hæreditatem peſtis ſimul intrabant: patuit ex aliquibus locis præſertim in montibus ſeparatis, quò perueniens peſtis, certum erat, à quò deferretur: patuit in varijs familijs, in multis Oppidis per ſolam cuſtodiam ſeruatis, inter fines aliorum infectorum: fuit euidens è multitudine mortuorum miniſtrantium infirmis, vt Medicorum, Chirurgorum, ita vt quidam Medicus egregiè reſponderit cuidam petenti aliquod præſeruatiuum peſtis: Pete hoc ab aliquo legū Doctore, non Medicinæ, quia ipſi habēt: iam .n. media pars noſtrûm extincta eſt, & nemo è tot legum Doctoribus perijt. Non conſumam verba in re notiſſima: ſatis eſt, ſi dixero in medio huius vrbis, tam multa Monaſteria Virginum, & Conuentus Monachorum per ſolam cuſtodiam graſſante extra illa mœnia peſte, fuiſſe ſeruata: quod ſi in aliques Conuentus ingreſſa eſt; certum fuit à quò fuerit deportata: Affero ſolum magnam Mendicantium Domum intra Vrbem, vbi ſeruantur ſupra numerū ducentorum pauperes, præ-

ſer-

ſertim iuuenes: modo conſtat, è centum, & pluribus diſcholis ſeruatis ſub arctiori cuſtodia, nec vnum tempore peſtis periiſſe: ex aliis centum in domo manentibus, quibus conuerſatio cum externis interdicta erat, nec vnus periit. ſed ex ſexdecim grandioribus, quia vel vt aliis miniſtrarent, vel ad ſuas officinas extra domum ibant, duo mortui ſunt: In loco verò mēdicantium fœminarum extra vrbem in Sancto Gregorio diu durauit præſeruatio à peſte: magno pene miraculo cum graſſaretur tam feraliter per vrbem: ſed mala fortuna (vt referunt) attulit illuc quendam illius loci ſacerdotem, qui oſtentabat torquem ab aliquibus mortuis hęreditario iure habitum; qui dum per fœminarum manus tranſiret pernicioſior monili Harmoniæ fuit; ita vt ad numerum ſupra 200. circiter peſte perierint: & hic obſeruatę, metalla, & aurum peſtem contrahere, & inferre contagium; vel propter ſordes, & inquinamenta adhęrentia, vel etiam propter vapores, & ſpiritus, qui ab infecto reſpirati adhęrent ad corpus metalli frigidum, denſum, & leue, & conſtipantur, vt euidenter apparet in ſpeculis: vnde fallitur Mercurialis, putās frigus metalli extinguere vapores, cum illos potius conſtipet, ac denſet. Obſeruate curam aliquatum ex his fœminis demādatam eſſe cuidam Panormitano, qui in peſte Sicula ter, aut quater ſeruatus fuerat, & hic etiam peſte correptus, mortuo ſeruo liber euaſit: ſed iſte infęlicisſimus fuit in peſte ab aliis profliganda, quamuis ratione proprii temperamēti in propria fuerit fortunatus: cæterum nec norat literas, nec praxim, nec miniſteria chirurgica, quæ noſtri barbitonſores maxima cum charitate exequebantur: gerebat in ſcatula argentea vnguētum roſaceum ægyptiacum, & dabat puluiſculum per os aſſumendum, qui erat è duobus granis lauri contuſis, & fatua plebs credebat primis diebus, hunc habere arcanum contra peſtem, & doſim huius pulueris vendebat (vt audio) pro vncia argenti: ſaltem miſcuiſſet cum his baccis terram ſigillatam, ex præſcripto Auicennæ; quia grana lauri ſola non ſunt immunia à ſuſpicione veneni, ex Cardano lib. de Venenis. fuit tamen Doctor ſcribens Ferrariæ, quæ vix diſtat à nobis ſpatio, quod tribus horis poteſt confici, qui ſcripſit Medicum Panormitanum longè omnium ſapientisſimum, mille aureorum ſingulo quoq; menſe

hono-

honorario accerſitum, ex cuius opę, & ſciētia, magno artis medicinæ ſplendore, non modicam vtilitatem infectis extractam: videre quam fallax ſit de alienis loqui: laus.n. quæ poſt Deum debetur Eminentiſsimi Spadæ, & noſtrorum Ciuium charitati, & vigilantiæ, adſcripta eſt vilisſimo ſuæ vitæ venditori, de quo cum quererentur aliqui, quod omnes in eius cura perirent, reſpondit ſe indigere Medico Phyſico: nam ipſe ſolum ſciebat vngere; erat.n. diſcipulus diſſeminatoris peſtis in Sicilia.

Quantum ad tempus, apparuit Peſtis Bononiæ ad initium Maij: diſputatum fuit à ceruicoſis Medicis per totum menſem, antequam concluderetur eſſe peſtem, quo tempore maximè per vrbem propagata eſt. certum eſt non niſi per contagium cōmunicatam ab infectis hominibus, aut pannis venientibus Parma, & Mediolano iam ante infectis: nam conſtat quendam muſionem venientem Parma mortuum ad Caſtrum Francum, cum tumore ſub axillis ad finem menſis Martij, ex quo tempore ibi peſtis, tunc malè cognita, originem ſortita eſt, & prius ibi moriebantur q̃ Bononiæ; vnde potuit facillimè in vrbem trāsferri: certum etiam eſt & ante id tempus rumores de peſte percrebuiſſe, & Mediolani, & Parmæ, & in exercitu Cæſareo. Quis tamen malæ fortunæ auctor fuerit, vt Bononiam deferretur, odioſum eſt quærere, & incertum vehementer aſſerere, & nobis inutile.

De contagio loquentes moderni dilatāt fimbrias, cum multis diſtinctionibus, quæ ſortiuntur imaginem confuſionis: ſat eſt, ſi dixero & contagium rei, vaporis, & fomitis, cognitū antiquis in multis morbis, vt in lepra, vt patet Leuitici xiij. & præſertim in peſte ex Ariſtotele 1. problematum: & reſolutiuè dico, Quid eſt contagioſius igne, qui meſsium campos depopulatur, & incidens in pabulum, vires acquirit eundo, & incidens in ſilnas virides, illas tandem ſibi præparat, & deſtruit? ſic vnicum pomum integram putrefacit maſſam, & morbida facta pecus totum corrumpit ouile: ſic Philoſophus vltimo ſecundi Poſteriorum dicebat, vno ſtante alter ſtetit, poſtea alter; quo vſq; in principium veniant, & ſic totus ſtetit exercitus: Qui ergo aliam cauſam efficientem præter contagium in hac peſte quærūt, mihi videntur parum mente, & ſenſu conſtare: quia eſt quodam ſimile vniuerſali Platonico, quærere cauſam vniuerſalem in his,

cur ſtet exercitus totus, cur maſſa pomorũ putreſcat, cur ignis integram abſumat meſſem, cum ſufficiens ſit illud particulare, quod ab vno in alterum procedit ad vniuerſalitatem. Inſuper non puto illos vnquam vidiſſe miſcellam ſanorum cum infirmis, vt ego obſeruaui. Fortè fortuna primis diebus incidi in viam dictam campum de Bobus, in qua multitudo pauperum accurrebat ad videndam rem inſolitam, nempè lecticulam, in qua deportandus erat infirmus ad Lazaretum: appropinquabant pueri, & puellæ, & rem nouam contingere gaudebant, aliqui colloquentes, cum infirmo ſpiritum ore captabant, aliqui famulati ſunt, vt lecticulam intraret, multi ſeruierant in domo; nam cum pauperes famulum non habeant, pro famulo pauperum multitudinem habent, & ſibi inuicem opitulantur: omitto, qui domum ingreſsi ſunt, vt aliquid ſuffurarentur: hic fuit finis: aliquæ fœminæ diù altercatæ criminando, & negando, ſe in illam domum fuiſſe, & nihil contrectaſſe; tandem abierunt ſingulæ in domos ſuas: & poſtea miramur, ſi in illa via omnes ferè familiæ extinctæ ſint: imò bis illæ domus remanſerunt vacuæ, quia poſt primos infectos mortuos, illuc repoſuerunt pauperes, per vrbem vagos, qui metu contagij non admittebantur in locum propinquum mendicantium, & rurſus illi perierunt: ſunt tamen viri alias ſapientes, qui non reſpicientes ad hęc ſenſata, vitio malignitatis humanæ arcana libentius, & incerta credunt, & quærunt ſeminaria per aerem volantia.

Quid communicatur per contagium? Reſpondeo communicari, vel qualitatem cum materia, vt vaporem, & ſpiritum, & ſubſtantiam ſubtiliorem: vel qualitatem ſine materia; neq; hoc ſecundum videatur durum aliquibus, vt Mercuriali: nam dicant, quomodo frigus communicatur vino in vaſe clauſo, dum inter glaciem vas ponitur? non reſpondetur communiter, frigus gigni in vaſe, & vino? & quis negabit qualitatem peſtiferam per ſimplicem contactum corporis peſtilentis facillimè communicari poſſe, etiam ſine vlla communicatione materiæ? non quia qualitas de ſubiecto in ſubiectum permeet; ſed quia ſimilis qualitas à ſimili generatur, & educitur ex illo ſubiecto, etiam ſi nulla inquinamenta materialia adhæreant. Verum tamen eſt, vt in pluribus inquinamenta ex contactu corporum,

 aut

aut pannorum contactu, & præcipuè ex halitu, deferente halitum aere tanquàm medio tactus, nam obiectum tactus, vt calor ignis agit in manum, & mediante aere, & immediatè ſuperpoſitus manui, vnde ſenſus tactus, & per medium externum, & per connatum ſentit.

Reuiuiſcet hæc peſtis hoc vere, & æſtate? Reſpondeo, cum aer non ſit magis cauſa huius peſtis, quàm vitrum ebrietatis ſit, vt nil ab aeris mutatione ſit timendum: quia calor aeris non eſt ſufficiens creare peſtem in aliquo, poterit tamen efficere, vt peſtilens vapor in aliquibus culcitris, & laneis infectis antea ſopitus frigore, excitetur & tangentes inficiat. Quod ſi aliquis inficiatur, & ſubitò ſeparetur, & claudatur in domum, ceſſabit peſtis, & vrbs ſeruabitur: Dum hæc ſcribo in domo cuiuſdam Reuer. de Puteo fœminæ miſcentes pãnos ex infecta domo traſportatos, peſtem contraxerunt, & mortuæ ſunt: duæ ſeruæ famulantes & ipſæ mortuæ ſunt: ipſe Reuerendus benè purgatus in ſeparata domus parte habitans mortuus eſt: nepos ad hæreditatem accurrens captus peſte moritur: quia tamen iſti prohibiti ſunt commercio, non eſt diffuſum in alias domos contagium. In hoc vigilat cura *Eminentiſsimi* Spadæ, & Ciuium: hoc ſolùm eſt peſtis ſecretum; cætera ſunt leuia aut deliramenta inſipiẽtium, aut furum technæ, qui ſuffuratis rebus è Lazaretis contagium ineſſe negant: Nec eſt timendum, quin vna, aut altera domo in vrbe clauſa à vicinis prohibeamur commercio; quia peius eſt diſsimulare principia, nec prohibere quin ſerpãt, quam aliquarum domuum clauſura reliquam vrbem declarare ſinceram. Hoc fecerunt Ferratiẽſes ſuaſu Medici Iuuenis Aſtolphi, Qui primis diebus peſtem proclamando, fuit in cauſa, vt primi infecti ſepararentur; & aliquibus ſeparatis tota vrbs ſeruaretur in medio vicinarum peſte laborantium: Ridiculum erat videre multitudinem infirmorũ Noſocomij tendentem ad Lazaretũ, cum irriſione Medici ob cauſam vnius, aut alterius infecti: ſed citò lacrimoſum fuit neminem ferè vidiſſe reuerſum. Et quamuis cõiectus in carcerem fuerit, quia dicebãt æmuli, hunc temerarium agere, vt ciuitas prohiberetur commercio cæterarum: tandem tamen erutus carcere, vt liberator patriæ honoratus eſt. Quamuis poſtea in curatione peſtis in ſua patria Nuolariæ mortuus ſit.

De

Videretur inutilis populo libellus, ni duo verba de curatione dicerétur, ego verò nil inutilius puto, quam receptas ſcribere, quia falſum puto, quod opinatur populus; & ait Cardanus, quod experientia comprobatum eſt; eluti cuilibet veneno ſuum conuenit Alexipharmacum ſita vnicuiq; peſtis ſpeciei, quo inuento omnes ferè ſanantur: ſed nec ratio, nec experientia hoc nos docuit: quia Peſtis hæc eſt è genere illorum venenorum, quæ dicebat Dioſcorides lib. 6. vel ob impetum actionis, vel ob diſpoſitionem patientis eſſe immedicabilia: hoc autem præ cæteris verificatur in hac peſte, in qua medicamenta frigida calorem internum perimunt, & ad putredinem præparant, & calida faciunt venenum calidum magis penetrare, & facilius perimere: Vnde veriſſimum puto, quod à multis obſeruatum eſt, omnia alexipharmaca calida in hac peſte maximè obfuiſſe, & temperata parum profuiſſe.

Nec velim puteris eſſe medicaméta agétia à tota ſubſtantia, quæ ſint ſpecificè contraria formæ veneni, & peſtis, non ratione qualitatum, ſed formæ, quia forma non cōtrariatur formæ, ratione formæ, ſed ratione qualitatum; & falſum eſt, quod dicunt caliditatem in pipere, & ſinapi eſſe organa formæ minimæ actiuitatis; vnde parum agunt: ſed caliditas in Euphorbio, & Theriaca eſt inſtrumentum formæ maximè actiuitatis; vnde vehementer agunt, & quandoq; non ſuperantur à natura: falſum inquam eſt; quia euphorbium, & cantharides non ſuperantur à natura, quia præter caliditatem habent alias etiam qualitates materiales, et qualitates terreas, ſubtiles, ex quibus caliditas ſortitur vim acrius agendi, & melius diceretur eſſe mixturam aliarum qualitatum ſortientium ſuam vim agendi, & illam modificantium ex vario ſubiecti temperaméto, vnde procedunt, præterquamquod aliqua ex his ſua materialitate agunt parti adhærendo: piper autem, & ſinapi ſuperatur, quia caliditas eſt vnita parti tenui facilè diſſipabili; modo conſtat tenuitatem partium, & ſimilia eſſe accidentia, non ſubſtantias: ergo Theriaca prodeſt euphorbio, non quia ſit calida; ſed quia ſecum habet cum caliditate adiunctas alias qualitates repugnantes

purgatio non præſeruat, niſi communiter: ſic eſt inſtituenda proportionaliter, ſecundũ regulas generales methodi de tuenda ſanitate; maximè verò purgandæ ſunt fœminæ, quibus ſuppreſſi mẽſes appatatum putredinoſum, & veneficum ad peſtem facillimè recipiendam præſtant. Cæterum quæret aliquis, an quemadmodum eſt aliquod temperamẽtum in quibuſdam hominibus, quod peſti reſiſtit, vt vidimus in multis ſeruis Lazareti, inter mediam peſtem illæſis, ita nos medicamentis poſſemus tale temperamentum in ſingulis creare.

Quæſitum eſt arduum. Reſpondeo, conſiderandum, quod ſit hoc temperamentum, quod reſiſtit peſti. Proculdubiò non eſt temperamentum temperatiſsimum hominis: nam cum medium illud complexionis elemẽtaris, in quo ſpecies aliqua ſeruari poteſt, tantam habeat latitudinem, quanta poteſt eſſe diſſimilitudo indiuiduorum illius ſpeciei, ſit, vt indiuidua ad extremum temperamenti temperata, vt ad exceſſum calidi, aut ſicci, non cenſeantur temperata; nec eſt inconueniens, aliquos homines in extremitatibus ſui temperamenti collocatos, magis accedere ad complexionem elementarem bouis, & equi, quam ad complexionem temperatam hominis: nam temperata hominis complexio eſt illa, in qua primæ qualitates mutuò ſe frangunt in eo termino, quo reſultat potiſsima diſpoſitio corporis, ſecundum omnem modum ſuæ ſpeciei debitum: & in vna ſpecie abſolutè temperatum eſt, quod reſpectu omnium indiuiduorum ſuæ ſpeciei eſt tale: vnde ſequitur, vt operationes perfectiſsimæ talis ſpeciei è tali prodeant temperamento: propriæ autem operationes hominis ſunt, rectè agere, & intelligere. modò conſtat tali perfectione temperamenti non fuiſſe, qui ſeruati ſunt: multi .n. temperatiſsimi actionibus, & temperato corpore, & vt plurimum ſanguinei, rubicundi, & ſaniſsimi iuuenes citò perierunt: alij autem imitantes complexionem bouis, & aſini ſeruati ſunt, & præditi temperamento frigido, vt ſenes. ergò temperatiſsimi homines complexione non reſiſtunt peſti.

Hinc ſoluitc dubium, propter quid peſtis è ruſticis in boues contrectatos, aut in equos, & aſinos, & canes non tranſierit: nam conſtat talia animalia contrectata, nõ offenſa peſte; quam-

vis ipſam hominibus communicarint: ratio fuit eadem, ac in hominibus quibuſdam .ſ. ex reſiſtentia temperamenti proprij: præterquamquod venenum peſtilens ſeruat ſui principij originem, & ex homine in hominem facilè tranſit.

Diceris vos, quod eſt hoc temperamentum reſiſtens peſti, vt illud, ſi volumus, poſsimus in nobis procurare?

Adhuc anceps ſum, an ſit aliquid in aliquibus temperamentis, an totum temperamentum: certus ſum in aliquibus diſpoſitiones putredinoſas, & venenatas apparatum ad peſtem recipiendam præſtare, vt dixi de fœminis ſuppreſsis menſibus; certus ſum aliquas diſpoſitiones à peſte præſeruaſſe alios, vt multæ meretrices hìc, & alibi ſeruatæ; putāt aliqui ob luem gallicam, quam in ipſi aidificare eſt veriſimile, quam volunt peſti contrariari (ſed vidimus aliquos penè corroſos Gallico periiſſe peſte), & quod magis vrget eſt, quod aliqui ſemel capti peſte, & expurgati ab illa, viſi ſunt, poſtea omnem diſpoſitionē ad peſtem exuiſſe, vnde poſtea remanſerunt inter infectos illæſi (neq; hoc fuit ſemper verum) ergo videtur aliquid in nobis, quo ablato peſtis non adhæret: ſi hoc eſt aliquid etiam in hominibus ſaniſſimis naturaliter; incertum eſt, quod, & quale ſit; ſit tamen quodcunque, ſi id volumus auferre, proculdubio non poſſumus, niſi purgatione & vehementi, vt hoc cū excrementis humorum exeat. hæc eſt ratio, propter quam aliqui vtuntur pilulis arſenicalibus, antimonialibus, mercurialibus, & antiqui ex euphorbio, è ſimo columbino, & ſimilibus vehementiſſimis, quæ ſpecifica vocant ad peſtem: ſed conſiderate vos, an expediat ſanitatem ſuam his remedijs in periculum ponere (imminet enim ex his purgationibus in ſanis humorum colliquatio) quam ſuæ præſeruationi fuga conſulere.

Alter præſeruationis modus eſt alterantibus agere: ſic tentabimus præmiſſa purgatione apta non retinere humores, & temperamentum in ſua æqualitate, ſed ex præſcripto Auicennæ ad ſiccitatem inclinare; humiditates excrementitias exſiccare, ſemper optimum: de humiditate temperamenti dubito; optimum erit exercitijs exſiccare corpus per externa, vt per frictiones, inunctiones, & balnea: ſed vehementer exſiccãdo cum alterantibus intus; dubito, ne procurentur in ſano obſtructiones,

ies, & intemperies. Benè dixit Auicennas exſiccandum in peſte, quia reſpiciebat ad putredinem & internam, & externam aeris, cui ſiccitas reſiſtit: ſed in noſtra peſte ex putredine cũ veneno calido,& ſicco, vereor, ne ſiccitas putredini repugnans diſponat veneno ſicco: vnde conſequens conſideratio eſt, an exſiccatio in peſte procurãda ſit calidis, an frigidis: frigida, dum calorem internum mortificant, diſponunt ad putredinem: calida ad venenum facilius promouent. videmus frigidos ſenes euadere à peſte,non ſic iuuenes calidos; ergo magis videtur inuadere peſtis ad modum veneni calidi, quam ad modum putredinis. imò quantum ad praxim compertum eſt, omnia medicamẽta calida maximè in præſeruatione,& cura obfuiſſe: Quot vidimus ex Medicis, & Chirurgis amicis noſtris, poſt ſumptionem pilularum Raſis, Theriacæ,& ſimilium, poſt inunctionem olei Magni Ducis, & talibus in peſtem citò incidiſſe: Miſer Doctor Blancus amicus meus, qui totum ſe impleràt antidotis talibus inter primos infirmatus de intenſiſſimo calore in præcordijs conquerebatur: hoc in infinitis patuit: ergo medicamenta hæc in alijs peſtibus celebrata nocuere, & rationabiliter: quia in hac ex Methodo nõ debemus calefacere: ſic Galen. lib. 5. ſimplic. cap. 24. dicebat medicamenta proprietate operantia interdum qualitate euidẽti nocere; propterea qualitas illa manifeſta corrigenda: verùm quidem eſt hæc remedia calida fouere per ſimilitudinem calorem cordis; ſed à quolibet exceſſu cauendum: ergo præſtabit vti temperatis cardiacis, vel calida frigidis attemperare: Alij attemperarũt gentianam, ſcordium, dictamnum, &c. acidis: alij miſcuerunt terras ſigillatas, ſandalos, camphurã, os cordis ceruĩ, Magiſteria gemarũ, pulueres,& aquas è ſimplicibus temperatis deſtillatas, è calendula, verbena, ſcabioſa, acetoſa, galega: alij poſuerunt theriacam in aceto, & illud vtiliter exhibuere.

Conſiderate non idem eſſe, præſeruare cadauer à putredine, & corpus viuum à peſte: qui gradus caloris, & ſiccitatis præciſè retinet temperamentum carnis in mortuo, non id aget in viuo: cedria præſeruat mortuos, corrodit viuos: ſcordium, quod cadauera ſuper poſita præſeruat ex Gal. ſuſpectum eſt in peſte, hac ex Cardano: eſt .n. de genere alliorum, & nimis calidum

Pilulæ

Pilulæ ex mirrha aloe,& croco ab antiquis celebratæ nocuerūt & meritò, quia, & nimis calefaciunt,& impuritates humorum mediante croco ad cor vehunt;præſtabat,vti recepta antiquioṛ Ruffi, ponendo ammoniacum, non crocum; quia amoniacum ad expulſionem impellit,& rationabiliter conſtat,in illis, quibus non ſubducebatur aluus, maximè obfuiſſe: ergo non dentur cardiaca, nō purgato corpore,quia impuritates humorum ad cor portant,& vidimus in ſectione cadauerum ferè omnium in febribus malignis occluſos cordis ventriculos craſſa pituita annis ſuperioribus Mātuæ;ſuſpicor ob alexiteria impuris corporibus exhibita. Inſuper non eſt tutum miſcere cardiaca purgantibus,quia aliqua,vt theriaca ſiſtunt actionem medicamenti, alia humorum particulas motas ad cor impellunt.

Fateor errorem meū: in principio peſtis mihi videbatur temerarium, non adhibere fidem tot Antidotis antiquioribus,& modernis, quæ nomine celebri vulgabantur, & aliquibus, quæ quaſi per arcanas traditiones, etiam per tormenta extortas à principibus,& religioſis erumpebant,& ego aliquot præſcripſi, & receptas tradidi: ſed ratio, & experientia monitus ſum, ſobriè omnibus fidendum.Habeant principes ſuas gemmas, balſama, bezoar, cornua vnicorni, &c. non minus efficacia prò pauperibus ſua ſimplicia, & herbæ. Scio Sereniſſ. Ferdinando Mantuę vēditum pro ſecreto extractum ex allijs,& ex Theriaca, & modum conficiendi aurum potabile, de quo edidit libellum Doctor de Ferrarijs, cum multis caſibus, in quibus mirabilia fecerat: mortuo Ferdinando ingenuus Doctor idem, qui ſcripſerat laudes, mihi retulit infelices euentus, quos in pluribus idem aurum potabile præſtiterat, & cum ratione, nā erat corroſio auri facta per menſtruum acerrimum,ex rore, & fuligine extractum, viſcera quandoq; corrodens. Multa ideo precioſa ſunt,dicebat Plinius,quia in templis cernuntur: ſi fumū multis detrahas,remedia procerum apparebunt vulgaria circulatorū. Quiſquis Artem componendi antidota calet poteſt ad miriadas antidota parare, ex varia variorum ſimplicium miſcella. Extant apud Gallum Tridentinū innumerabiles formulæ omnium medicamentorum contra peſtem; in exquiſita præparatione præualent Vltramontani.

HIc remanet dubiũ, an Chymici aliquod certiùs præſeruatiuum habeant; quoniã hîc Bononiæ Chymici, qui ſe miſcuerunt peſti ſeruati ſunt, & Mantuæ viuit Doctor Claudius Gallus amicus meus, ibi olim profeſſor, & lector Chymiæ publicus: viuit Illuſtriſs. Comes Bruſcus, olim Sereniſs. Ferdinandi Medicus, in Chymia periti ſſimus; at reliqui Medici præter tres, aut quatuor (vt audiq) mortui ſunt, nec eſt dubium, quin extracta è zedoaria, angelica, carlina, ſcorzioneta, antherà, mitrhide, verbena, &c. Chymio more rationabiliter parata, ſint magnæ virtutis.

Mercurialia, vel ſpiritus ſalis, aut vitrioli, apparent alexipharmaca in peſte, ad reſiſtẽdum putredini, ad penetrationem, & actionem citam, ad expulſionem venenatæ qualitatis: Multi Mercurium pro amuleto, alij ſublimatum geſtabant, Polanus, Gallus, Mandam Mercurialem, quæ eſt ſublimatum dulce in Lazareto cum fructu, vt aiunt, exhibuit; aiunt etiam circa fodinas, vnde Mercurius eruitur, nunquam peſtem apparere, ergo Mercurialia ſunt contra peſtem.

Quod olea, & ſulphura prędedunt, patet è multis, qui oleis iuniperi, cariophylorum, & talibus ſe inungebant. imo olea, & intus ſumpta propriiſſimè putredini reſiſtunt, quia olea difficulter putreſcunt, & pro primo Peſtis Buboniæ remedio Cardanus lib. de venenis oleum copioſè exhibendum iubet; quod à me non eſt factum, quia ſcio oleum putredini reſiſtere, at inflammationi ſubeſſe; imo Gal. 3. Meth. aiebat pinguia, & ſi dolorem ſedent, putredinem augent. legi tamen apud Graciolum oleum à muliere ſuo viro cum fructu copioſè exhibitum: tumores etiam peſtilentes vtiliùs maturantur, aut diſſoluuntur oleis, quàm ceratis; quia cerata, dum adhęrent parti, prohibent tranſpirationem vaporis peſtilentis, quod nõ faciunt olea, quæ inſuper dolorem ſedant. oleum ex canibus paruis intus coctis cum ſimplicibus contra peſtem, intus aſſumendum, & extra, fuit pro ſecreto aliquorum: ſulphur extra ad bubones, & carbones, ex Dioſcoride, & Galeno: Intus cum mirrha, & aloé commendatur à Theophraſto. aliqui ad dragmam intus ſolum exhibuere:

cum maior,& intimior attractio fiat per os,quā per oſcula arteriarum proderit ſpongiam aceto roſaceo imbutam ori apponere,& aliquā herbam ſubadſtringentem, odoratam ore continere, vt abſintium ponticum,amaracum,corticem arācij,citri,&c. cauendo ab odoratiſſimis, quæ proritant odoratū ad vehementer attrahendum cum odore aerem; ſed præcipuum eſt, cauere à recipiendo aliorum ſpiritū, præſertim in multitudine.

De Curatione.

NOn videtur inſtituenda curatio, nec ex methodo; quia obſunt auctoribus artes; & quoſdam morbos ex Hippocrate expedit nō curare, quia curati citiùs perimūt, vnde ab Empiricis ſumitur curatio peſtis;quia non ſciunt,quid faciunt,experiri volunt,omnia tentant,vel palliant curas nihil agendo, vel ad extrema procedunt remedia,ad quæ Methodici non audent procedere. Scitis, quas literas ſcirent medici, qui primùm ſe ſpontè obtulerunt pro Lazaretis, quos tamen poſtea pænituit: Apud me exploratum eſt ſanitatem in peſte à ſolā potiſſimum vi valida naturæ prouenire: hoc me docent natura veneni, putredinis, & experientia: vis autem naturæ per minimum medici opus faciliùs eſt diſtrahere, quam ſubleuare, quia bonū eſt ex integra cauſa, malum ex vnico defectu. Quot vidimus è ruſticis præſertim, qui nullo curante euaſerunt?vidi, dum eſſem ruri duos ſepelliendis mortuis ad Lazaretum eius loci deſtinatos, qui ambo peſte correpti iacebant in medio agri, in quo ſuas ſibi foſſas parauerant, febre æſtuabant ardenti, folia caulium carbonibus ſuperponebant, tandem reuixerunt, & viuunt. Conſiderandum eſſet Principibus, an expediat Reipublicę tactos peſte ſtatim in locum aliquem ſeparare,cū rebus ad victum neceſſarijs,cum aliquibus oleis,vnguentis,& Alexipharmacis temperatis, ſine apparatu tot Chirurgorū, & medicantium: nec credant iuuenes, carbones ſpontè non ſuppuraturos, & caſuros, ſi non eſſent, qui extraherent,nam cum natura fortiter agit, ſeparat. & multi, qui euaſerunt curati, fortè euaſiſſent non curati, & multi ex illis, qui non euaſerunt, euaſiſſent,ni curati fuiſſent.

Si tamen ex methodo inſtituenda ſit curatio, non eſt contentioſè diſputandum an tumor, an febris tumoris ſit ſymptoma: ſed inſpiciendum eſt in naturam veneni peſtiferi, aliquando in ſpiritus, humores, & partes ſolidas cum febre, & ſine febre, cum tumoribus, & ſine tumoribus irruentis. vnde hoc venenum pro varia receptione in corporibus varijs cauſat aliquādo morbos in intemperie, aliquando continui ſolutiones, aliquando tumores. ergo indicationum ſumma eſt, auferre venenum peſtilens, & prohibere, ne ad cor perueniat: auferremus euacuantibus; prohibemus, ne ad cor ſerpat, cardiacis Alexipharmacis alterantibus. Punctum difficultatis eſt, quod rarò hoc præſtare poſſumus: quia frequens eſt huic peſti, quod dicebat Galenus 3. de ſimpl. cap. 22. quædam corrumpentia ſanguinē ad quandam vſq; metam non ſentiri prorſus, licet vbi poſt modū proceſſerint, ineuitabilem mortem afferant. Ergo primus peſtis inſultus conſiderandus.

Si peſtis in aliquem primò irruens ſtatim inficeret ſpiritus, & hunc primum impetum perſentiret natura, itaut concuteretur, & ſtatim febriret, non eſt dubium, quin curatio eſſet, & fortaſſe ſalus, ſtatim vehemens aliquod ſudorificum exhibere, & poſtea antidotis aptis cor munire.

Si etiam inuaderet peſtis ad modum veneni, vt putat vulgus, qui credit contrahi carbones in illa parte, quæ tangit aliquod infectum, & referunt de quodā ſacerdote in Lazareto, qui tangens duobus digitis labia infirmorum, quibus Euchariſtiam miniſtrabat, contraxit iiſdem digitis carbones: de alio, cui quibus digitis ſcripturas attigerat infectas, erupit peſtis: & de chirurgo ad Gaſtrum Francum, qui ſecans cadauer, & reſpiciēs ex tumore in brachio procedere, vſq; ad cor lineam cruoris nigri, voluit illum ſanguinem nigrum è ventriculis cordis extrahere, imaginās fortaſſe ſe ibi reperturum viperas, aut baſiliſcos, alias non eſſe peſtem, ſed factum eſt, vt iiſdem digitis, quibus extraxerat carbones, contraheret. Si inquam hoc aliquando eueniat, quod poteſt accidere, non eſt dubium, quin hæc peſtis hoc modo irruens ſit curanda, prout curantur venena ex morſu, & ictu animalium illata, attrahendo ſcarificationibus, cucurbitulis, & euacuando ex illa parte venenum, ne ad cor perueniat;

niat; cor autẽ ſtatim alexipharmacis muniendum eſt, vt veneno reſiſtat, nec timebimus ad exhibitione Alexipharmaci nõ purgato corpore, quia maius periculum imminet ex veneno ad cor properãte, quam ex impuritatibus ad cor, cum Alexipharmaco irruentibus.

Amplius ſi primo impetu appareat in aliqua parte corporis tumor, cum pauca febre, aut nulla (dũmodo hoc non ſit indicium naturæ fluxæ, & ſuperatæ virtutis) expediet præmiſſo leniente, aut cliſtere ſudorificum exibere, & deriuare ſanguinem per venã tumori propinquiorem. hoc modo aliquos ſeruatos vidi: ſed vt ingenuè dicam, quod ſentio, vehementer dubito; an hi tumores in multis apparẽtes ſine febre ſint peſtiferi. quia vt plurimum ſunt fœminæ, & melancholici: his tumoribus ſemper abundantes, in quibus etiam euanuerunt tumores proceſſu temporis ſine remedio, vel ſimplici inunctione. inſuper imaginari non poſſum tumorem peſtilentem ſub alis, cum tanta vicinitate ad cor, quin patiens febriat, & tamen aliquos vidi ſine febre hoc tempore peſtis, & curaui; ergo non erant peſtilentes. Quod ſi tales incidiſſent in manus empiricorum, emplaſtris attrahentibus, & rumpentibus curaſſent, cũ iactantia ſe curaſſe, & ſanaſſe peſtem ſub axillis eruptam; quod eſt contra communem Doctorum ſententiam. Cauete ab inurendis carbonibus præſertim in principio apparentiæ; quia non ibi venenum naſcitur, ſed tranſmittitur, quaſi ſemper à natura; vnde periculum eſt, ne ex inuſtione retrocedat; ſic Doctor Saccus ſe inurẽs perijt, & multi alij; quod tamen dico de inuſtione carbonis in principio, non intelligo in fine, ſi latiùs ſerperet, & etiam ſi inuſtio aptè fiat circa tumorem.

Ordinarius inuaſionis peſtiferæ modus fuit, quem deſcribit Cardanus lib. 1. de venenis cap. 14. quando qualitas putreſcens immiſſa fuerit in ſubſtantiam ſanguinis, atq; ſpirituum, hauſto vapore per externa oſcula arteriarum, quæ ſunt in cute, aut per os, vnde ſanguis totus primum efferueſcere incipit, & venenum ad cor porrigi; febris, quæ inuadit primùm quidem, vt par, eſt ephemera; deinde paulo poſt etiam putrida, continenti ſimilis; quod ſi maxima fiat cõcuſſio, & interioris phlegmonis initium concutitur iecur, & magnus rigor exoritur, qui tamen non po-

ſtea re-

Digitized by Google

ſtea redit, ſed omnibus euerſis viribus, adeo iecur afficitur, vt ex conſenſu ventriculus motu euerſionis, nauſea, & cibi abominatione capiatur, quod vitium eſt iecoris, non ventriculi 1. in 3. de morbis vulgaribus: vnde ſæuiente fluctuatione; ardentibus ichoribus, vna cum humoribus, dum ſpiritus extinguitur, vis animæ vitalis, & naturalis nullam quietem habent, ſed perpetuas patiuntur vigilias, dolores capitis, delitia, lethargi, ingruunt, abſceſſus crudus plerumquè vrget, inſurgit natura, quæ mauult ſub ſpe aliqua pugnare, quam inulta, & indefenſa prorſus periclitari, & vt cæcus in tenebris aliquid propellit materiæ efficitq; carbunculos, atq; bubones.

Itaq; Medicus in hunc morbi ſtatũ vocatus quid aget? conſiderabit, an citò expiraturus ſit æger, quod cognoſcet, non ex pulſu, quem tangere temerarium eſt: non ex vrina, quæ properante ad cor veneno, ſæpè fallax eſt: ſed ex facie immutata horribiliter, quæ rarò decipit, cæteriſq; ſymptomatibus auctis: ſi eadem die apparentiæ inuaſionis concipiat non periturũ ægrũ, poterit de agendis cogitare: non cogitet de lenienti, aut de expectanda humorum coctione, quia morbus grauis leuia non indicat: humores veneñati à toto genere præter naturam non admittunt coctionem, nec expectãdus motus naturæ, quæ motus criticos non perficit, ſed materia turgens venenata è corpore eradicanda protinus, ne ad partes principes decumbat, & arcanum curationis eſt, illuc ducere, quo natura vergit.

Si vergat ad cutem, & maximè ſi æger ſit humidi temperamenti, raræ texturæ, &c. præſtabit vti ſudorifico. Ego aliquando cum felicitate vſus ſum pulueribus Foreſti addita cãphora, quia ſimul roborant ad expulſionem, & cor defendunt: vtemur decocto cardui benedicti; vel decocto radicũ tormẽtillæ, dictami albi, graminis, pentaphili, & hoc erat ſecretum Medici mortui. vtuntur chimici ſpiritu nitri, auro tonitruante, antimonio diaphoretico, & milites puluere bombardico. Obſeruant multùm practicantes ſudorifica exhibita poſt ſectam venam non prodeſſe. Quatuor Barbitonſores venientes è regionibus Romæ in principio peſtis ſperabant omnes curare ſudorificis, & poſt ſudorifici exhibitionem ægrum culcitris inuoluebant, & ſic ferè omnes magno cum æſtu peribant, ſed parum durauit hæc

fa-

fabula, nam vnus ex ipſis citò peſte perijt, reliqui reuerſi ſunt in regiones ſuas.

Si expulſio naturæ ad vrinas vergat, vtimur diureticis, acido limonum, & aranciorum, & citri, ſalibus fraxini, ſale prunellæ, ſpiritibus ſalis, &c. vſus ſum aliquando ſale prunellæ, cum natura vergeret ad vrinam; ſed patiente mortuo intellexi ab adſtantibus apparuiſſe carbonem ad verticem penis, vnde intellexi expulſionem vrinarum apparuiſſe per vergentiam materiæ ad illas partes, quæ cum expelli nõ potuerit (erat.n. in ſanguine craſsiori infectio) erupit ſanguis in carbonem, & remedium obfuit, quia ſecum aliam duxit materiã, & fortè fuit alius carbo intus ad collum veſicæ, nam per viginti quatuor horas ſuppreſſa vrina mortuus eſt in ſeptima.

Vomitus non conuenit, niſi peſtis ingruat repleto vẽtre. tunc .n. vt alexipharmacum commodè ſumatur, vomitus cieri poteſt, cæterum non conuenit, quia venenum peſtilens ad partes ſpirituales attraheretur, & eſt periculum nauſeæ, quæ huic peſti fuit frequens, & ſignum mortis: excipio vomitum à ſtibio factum, quia, cum fuerit cum ſumma purgatione etiã per aluũ, viſus eſt aliquando profuiſſe. Doctor Amaſæus quæſiuit à me in principio horum morborum, quid agendum. reſpondi per iocum, vt daret antimonium. ipſe perſcripſit, quia tales infirmos in Sauonella habebat; poſt aliquot dies volebat me ducere ad videndum quatuor ſanatos mediante antimonio. nolui videre; ſciebam .n. pluſquam vigintiquatuor mortuos, quia integræ familiæ ibi extinguebantur, & dixi an flores, an crocum præſcripſiſſet; reſpondit, neſcio: quod credidi, quia neſciebat quid flores à croco diſtarent; & tamen plebecula putabat hunc peſtis habere remedium, ſed tandem mortuus eſt peſte. crederem ego præſtare crocum, quia partes volatiles in floribus ſunt efficaciores ad vomitum.

De purgante per inferiora in principio, ſto à parte illorum, qui exhibent: cauendum à vehementiſsimis, vt ab euphorbio, à valdè ſcamoneatis, à præcipitatis, &c. vtor lenientibus aucta doſi, vel miſta trifera perſica, diacatholico, & etiam diaphenico, & ſimilibus: nec timendum à caliditate purgantis, ſi temperetur, nec timenda ſuperpurgatio, & colliquatio, quæ rarò accidit.

cidit. & venenata qualitas eſt cum materia, quæ euacuata quandoq; ſubleuat. Hoc ſentit Auicennas, Auer. Septalius, aliiq; modeini, & experientia docuit in hac peſte profuiſſe tam æqualiter euacuantia, quàm electiuè purgantia. Quod ſi etiam ſæpè non profuerit fuit, quia infectio vel in tota humorum maſſa, vel in partibus ſolidis proceſſerat, vel natura totum non ſeparauit venenum, cuius relicta particula totam rurſus inficit maſſam ſanguinis, poteſt etiam validiſsimum purgans diſpergere venenum per corpus vſq; ad cor. hinc valida periculoſa, & leuia inefficacia. & Medicus vocatur vt agat, & multa experiẽdo fiunt, quæ ſegnibus ardua videntur.

Apparente tumore ſectio venæ propinquioris ad tumorem profuit aliquibus; ita vt ſubito tumores euanuerũt, ſed vbi certum fuit eſſe peſtem parum progreſſam, nil periculoſius, ſi præſertim è brachio fieret, propter ſubitam virium concidentiam. Si corpori euchimo in principio adminiſtretur, fortè poterit prodeſſe. certum eſt de Doctore Cauacia in Lazaretum miſſo, quibus ſanguinem extraxit; extraxit verò omnibus ferè ex brachio, omnes ferè ad vnum periiſſe. ſed inter quinq; dies ipſe periit cum ſua opinione, quam geſſerat, nec in febribus malignis aliud remedium eſſe præter venæ ſectionem, quam largè miniſtrabat, quia putabat has omnes febres eſſe ex interno aliquo tumore; cæterum palliabat curam aqua, in qua parum mercurii præcipitati ad album miſcebat.

Animaduerto non placere, quod Septalius obſeruat lib. 5. cautionum med. ſi anthrax enaſcebatur in dextro crure, euacuandum ſanguinem è ſiniſtro, ne maior moles materiæ ad locum affectum trahatur, & inflammatio maior, & intenſior dolor fiat. Quia ego maius periculum imminere video ex retroceſsione materiæ venenatæ, quàm ex inflammationis, & doloris augmento.

Interim non omittenda Alexipharmaca, & præſertim temperata, & quæ proprietate, & qualitatibus minus notis agere dicuntur, theriaca, & mitridatum frigidis, & acidis attẽperanda, & fuit in hac peſte famoſum, quod legi de aliis ſimilibus, vt omnia calida nocuerint; caueant tamen, qui noua cõponunt, & volunt obſeruare regulam, vt media faciant inter naturam

vene-

veneni, & noſtram, quia ex minimo defectu in compoſitione plus poſſunt venenando, quàm curando. Sic vnguentum contra vnguenta propoſitum à Cardano cap. 14. lib. 3. de venenis, quod recipit cum oleis de Scorpionibus, & Hypericonis bubones viuos magnos tres verberatos virgis, & viperam cum ſeminibus rutæ, & ſcordij mihi videtur periculoſum, quia ad tantum venenorum apparatum, parum videntur ſuperſtare vnciæ tres ſeminum rutæ, & ſcordij, & ſemilibra oleorum. & fortaſſe ſimili vnguento quidam putantes propellere peſtem, ipſam multiplicabant. Huius farinæ eſt puluis, qui fit ex mixtione rerum cordialium, cum pulueribus factis è carbone extracto à corpore peſtilenti, & licet ſciam aliquos in cartulis ſeruaſſe, & impunè tetigiſſe carbones extractos induratos exſiccatos, ipſe tamē nec tangerem, nec puluerem ſumendum cenſeo, cum non deſint tutiora diuulgata.

Cætera præſidia medica in vſum ex indicationibus, varijſq; ſymptomatibus ducenda, & præſertim victus ratio, ex cuius attenuatione, ſi periculum eſt in alijs morbis, in peſte quidē maius, omnia .n. vireſq; ſtat in præcipiti: vnde ſequor doctrinam Auicennæ, & Raſis x. ad Almanſorem, vt ægri benè nutriantur, & (ſi ardor febris non prohibeat) vinum tenue aquoſum ſubadſtringens non prohibeatur; non .n. omnino deſperandum, & omnia metuenda, & quæ ſperabantur, non peracta ſunt; inſperatorum verò finem Deus inuenit. Vidi ruſticū in medio campo ridentem glādulam exortam ſibi infra inguina, & dicentem, quomodo poſſibile erit, vt hæc fabella me perimat (erat .n. robuſtiſſimus) tamen ingruente febre, operante veneno expirauit, cum familia tota, in qua 17. inter maſculos, & fæminas citò occubuerunt, & vix ſuperuiuit puellus, qui à lōgè cuſtos boum ſtabat; ſic illa fabula terminauit in tragędiam. Noſco in vrbe iuuenem, cui in medio pectoris ſupra regionem cordis, magnus carbo inſtar fungi maximi exortus tandem extractus eſt, & ſuperuiuit: alij vndequaq; cum carbonibus ſuperuixere, alij cum minima puſtula in ignobiliori loco occubuere. Sexcenta poſſem inducere exempla ſigno naturæ validæ expellentis, & ſeparantis, aut fluxæ ſuccumbentis: non .n. ex præſtantia remedij aliquos euaſiſſe ſcio, quia vtebantur ferè omnes iiſdem Bezoarticis,

ticis, & emplaſtris, vt ex fumicibus, malua, axungia, & quod ſuum remedium præſtabat, aliud etiam proportionatum præſtitiſſet. Sciet igitur poſteritas in noſtra peſte nullum inuentum ſpecificum certum (quod an dari poſſit dubito) quauis viuendi deſiderium cuilibet inſitum efficiat, vt incerta, pronis auribus excipiantur. Legi multos, & grauiorum, & leuiorum ſcriptorum libros, & audiui multorum placita: Quæ graues viri modeſtè de ſimilibus peſtilentijs ſcribunt, de cauſis, de differentijs tumorum, de remedijs, omnia eueniſſe comperi. Quæ vani ſcriptores prodigiosè narrant, & præter rationem largè promittunt, nugas eſſe cognoui, & veriſſimum monuit, Tacitus lib. 4.

Ne Diuulgata, atq; incredibilia auidè accepta veris, neq; in miraculum corruptis ante habeantur.

Solut. Argumentorum, & Problematum.

AD primum reſpondet Galedus: Quancunq; aeris alterationem non ſufficere ad cauſandam peſtem, alias ſingulo anno peſtes ſentiremus, cũ nullum inueniamus, qui exactè ſuos terminos ſeruet, & audio ſingulis annis, & præcipuè verè conqueri de inæqualitate, & eſt vetus cantio, nũc procedere tempora ab extremo ad extremum ſine medijs. Ad minorem. Certum eſt hyemem concatenantem finem anni 1629. cum principio anni 1630. fuiſſe temperatam; ſed illa temperies inducta fuit ab eiſdem vetis occidentalibus, qui frigidiorem huius anni ſtatum portarunt, nam frigidior hoc anno viſa eſt hiems ſtantibus ventis ijſdem, quia nix erat in terra, & hoc ab alijs obſeruatum eſt.

Ad ſecundũ reſpondetur nulli dubium eſſe, quin aer concurrat ad hanc peſtem duobus modis, primo, quia aer calefactus vere & æſtate eſt cauſa generationis putredinum, quibus repleta corpora facilius contagium recipiunt; ſic diſpoſitio calefactionis in cera efficit, vt figura facilius recipiatur, quam per nullam diſpoſitionem ſuam ſine ſigillo reciperet: pari modo ſine contagio illa putredo non euaderet in peſtem. Secundo modo dicitur aer concurrere ad peſtem æſtate, quia calor diſpergit vapores, & multum exhalare facit è corporibus peſtiferis, vnde

ſequi-

Digitized by Google

ſequitur plures infici æſtate, quàm hieme: ſed neutro horum modorum aer eſt cauſa immediatè efficiens, & propria.

Tertium argumentũ benè probat ex locis prius infectis Mediolano, & Parma ad nos delatam peſtem, non per aerem, & ventos, ſed à rebus infectis. Et per illas vias primo apparuit, quàm in vrbe, vt in illo mulione ad Caſtrum Francum veniente Parma, & alijs ruſticis ibi primo pereuntibus. Vapores autem ex aquis, & vallibus auctis plus debuiſſent nocere Ferrariæ, quã Bononiæ, quia valles ſunt ſitæ ad Auſtrum reſpectu Ferrariæ, & venti auſtrales ſuper Ferrariam hos vapores portãt, qui Bononiam deferuntur ab aquilonaribus. Immo ad Dianantinam Ferrariæ, vt ſcribunt, moriebantur boues non peſte, ſed ob paſcua putrefacta ab inundationibus Padi annis antecedentibus.

Ad quartum, quicquid ſit de influxibus cœlorum in alijs rebus, certè fuerunt mali influxus pro Medicis, & Chirurgis, qui pro media parte perierunt, & boni pro ijs, qui à longè ſteterũt. Si ſupputemus eclipſes per centum annos, quibus hic non fuit peſtis, certè aliquas peiores, & magis peſtiferas inueniemus, quam ſupputatas pro hac peſte. Morbi autem, quantũ ad ſuas periodos regũtur à cauſis ſuperioribus. V.G. aliqui hauſto ſpiritu peſtifero poterant ſtatim infici, ſed occultari impetus apparentiæ morbi, vſq; ad aliquod tempus, vt faciunt multi morbi, in quibus morborum apparatus ſecundum ſuperiores influxus citius, aut tardius deteguntur, & per motus ſuperiores terminantur, non tamen ſequitur peſtem hanc potuiſſe ſine contagio aliquo ſpontè produci.

Ad quintũ reſpondetur. Eſto naturam progreſſam annis antecedentibus ad ſummam putredinem, & apparuiſſe carbones, non tamen ſola putredo eſt, quæ creet peſtes bubonias, vt probatum eſt, quia vix natura in vno ex multis millibus millium procedet ſpontè ad vnionem veneni, cum ſumma putredine. Et ſi hoc anno obſeruati ſunt in aliquibus tumores ſine peſte, fuit, non quia præteritis annis tales non apparerent, ſed quia hoc anno quodlibet, vel minimum diligentiſſimè obſeruabatur. Febres tertianas ego curaui intermittẽtes, & ſubintrantes: rariores fuerunt febres malignæ hac æſtate, quia quilibet diligẽter ſe cuſtodiebat in victus regula, è cuius inobſeruatione putre-

 dines

dines malignarum febrium naſcuntur. Vehementer dubito ne aliqui cum febribus malignis hac tempeſtate, vel derelicti, & mortui fuerint, vel miſsi ad Lazareta, quos ibi neceſſariò poſtea peſtis ſubſequebatur. In principio peſtis febres malignæ curandæ erant in Xenodochijs publicis, quas obſeruaui, cum poſtea non reciperentur ægri valdè febricites ob ſuſpectũ peſtis, omnia maligna reputabantur peſtifera: Nec mirentur Iuniores, quia nil difficilius deprehendi in materia de peſte, quàm diſtinguere in principio febrem peſtilentē à non peſtilenti. Videte quid ſentiat Summus Medicus Maſſarias lib. 2. de peſte, qui tempore ceſſantis peſtis iudicauit in cura Vrſulæ valdè cum delirio febricitantis, cum exanthematibus, & Fornareti cũ bubonibus, non eſſe peſtem. Et poſtea populus ſibi perſuadet quemlibet togatum aſinum poſſe cenſere de peſte.

Ad ſextum. Particularia loca Bononiæ infecta ſunt, vbi pauperes primo in Sauonella, & mulieres, quæ linteamina primorũ infectorũ lauerunt, poſtea per alios vicinos diuagata eſt, nam pauperes, ſi fame mori nolunt, coguntur per domos aliorum ſeruitio ſe miſcere, tum quia in principio parum credebatur contagio: Inſuper pauperes, vt plurimum malè nutriti corpora impura ad facile recipiendum contagium gerunt (obſeruatum tamen eſt viros, & fæminas penè marcidos, quamuis tales ægros tractauerint, nuſquam peſtem contraxiſſe:) Aer etiam Bononienſis defenſus ab Auſtro, & expoſitus ad Aquilonem non mihi videtur tam inſalubris, vt Cardanus cenſet, nam craſſior multo eſt aer Ferrariæ: ſolum bituminoſum quamuis quæſierim, nuſquam inueni, & ſi inueniretur ſulphureum aluminoſum, & bituminoſum, crederem ſtare contra peſtem.

Ad ſeptimum. Si Hippocrates in Prognoſticis admonuit Medicos, vt prouidentiæ operam darent, & particulatim animaduerterent, ſi quid in morbis diuinum ineſt; vel hoc diuinum eſt aliquid dependens à variationibus ambientis nos aeris ex Galeno, & hanc variationem Medicus ad prædicendos, & curãdos morbos cognoſcat oportet; vel hoc diuinum eſt aliquod occultum in morborum cauſis, vt ratio dierum Criticorum, cur bilis de tertio in tertium, melancolia de quarto in quartum accedatur, & hoc etiam diuinum diuinare ſpectat ad Medicum.

In

In multis morbis, & epidemijs ſunt influxus; ſed influxus noſtræ peſtis fuit mala fortuna incidendi in contagium, quod qui fugerunt, deriſerunt influxus. Diuinum etiam ad arcana diuinitatis, & ad altitudinem diuitiarum ſcientiæ, & ſapientiæ Dei ſpectat: ſed de hoc agere non ſpectat ad Medicum: quia Deus, vt principium ſupernaturale potuit permiſiſſe, vt multi optimè cuſtoditi in aliquo puncto inciderent in contagium, vt in infectum tunc maximè exhalans, & malè cuſtoditi non inciderent: at phyſicè loquendo dicimus, hoc fortuna fieri, quia rarò fit. Sic qui inter multas bellorum ſtrages inter fulminatas igne pilas ſemper euaſit, dicimus fortunatum; qui autem per viam tranſiens muro cadente obruitur vocamus infortunatum: ſi autem omnia per accidens in ſuas cauſas reuocemus, tam neceſſe eſt inter bella non ictum ſeruari, quàm in via muro cadente obrutum mori. Fortunati ſunt qui ſe male coſtodiendo non inciderunt in peſtem: fortunatiores qui peſtem cõtrectando euaſerunt, & qui peſte correpti ſeruati ſunt: non autem infortunatos vocamus, qui ſe miſcentes, cum infectis euanuerũt hoc.n. fuit, vt plurimum. In pauperibus per viam morientibus ſæpe conſpiciebantur bubones. Simplex hauſtus aeris ab infecto reſpirati, vel cum illis vaporibus intra cubiculum concluſi eſt efficax cauſare peſtem; non tamen hoc aer per ſe, & vniuerſaliter agit. Vapor peſtifer in aliquibus pannis aliquando tempore euaneſcit, aliquando, vt in laneis, diù durat, & ſola expurgatione eruitur: ſic infectorum veſtimenta aliquando innoxia, aliquando noxia fuerunt. Contagium ſi de panno in pannum tranſiret, tandem vires perderet ſuas: ſed incidẽs in hominem, ibi venenum fermentatur, & vires colligit. Si contagium procederet merè naturaliter vt ignis, proximũ inficeret proximũ: ſed contagium defertur ab hominibus, & rebus de vna regione in aliam de vna domo in aliam non tactis medijs. Si Ferraria ſeruata eſt, laudet cuſtodiam, non aerem; quia nec humiditas aeris ibi eſt præſtantior, quã Bononiæ, nec frigiditas. Auicennæ Auct. intelligẽda eſt de peſte ab aere ſicco, & calido excedente.

Ad octauum. Reſpondetur. Tam in principio, quam in fine hanc peſtem pari tenore extitiſſe crudelem; patuit per integras familias extinctas, tàm in principio, quàm in fine. Numerus

mortuorum præciſus ex peſte ſciri nequit: ideo datur locus otioſis litigandi ad nauſeam de numero: qui dicunt paucos, narrant in vrbe de duodecim millibus, qui multos de quindecim: ſi aliquis certum ſciret, & vellet dicere nec gratias agerem. Aliqui rationabiliter diſcurrentes arbitrantur, ex centum infectis, vix decem ſeruatos; ex centum tractantibus infecta, nec ſeruatos decem. Scimus certè inter Menſem Maij, & Septembris 24. Medicos verè infirmatos peſte, & vnum ſeruatum. Mortui ſunt ad Lazaretum magnum Doct. Fauatus, Cauaza, Rubinus, Diola, Muſarenius. Extra Lazaretum Cauallina, Facinus, Galuanus, Blanchus, Muratorius, Sementus, Lodus, Bompellus, Bonalbonus, Cianus, Siccus, Dulcius, Panella, Faber, Rubianus, Amaſeus. Ad Lazaretum Caſtri Franci, Zambonus, & ad Roncaſtaldum Panzachius. Hos omnes noram Doctores: omitto aſsiſtentes, & licentiatos, & quos non noram: ſolus captus peſte ſuperuixit D. Lanzonus. Si contagium in fine non creuit, fuit ex ſubtractione materiæ per cuſtodiam: ſic ignis ceſſat ſubtracto, & remoto pabulo, non quia in fine ex ſua natura eaſdem vires non haberet.

Ad nonum. Peſtis hęc apparuit mitis, ob ſuperiorum diligentiam in ſeparando, ob ciuium charitatem, & curam, ob vrbis opulentiam, quæ (mirum dictu) nil ferè incommodi per tot Menſes interdicto commercio paſſa eſt: ſed non fuit mitis in illos, quos inuaſit; ex ſe .n. ſufficiens erat perdere ex decem partibus hominum, nouem, ni contagio cautum foret, & hoc demonſtrant mortes Medicorum. Equidem ex me minus timebam à peſte, quàm à reliquis morbis, quia credebam in me peſtem non erupturam, ni aliunde procederet: ſed vehementer timui, ne communicaretur ab illis, vnde minus cauerem: militat .n. peſtis contra proprietatem hominis, quę eſt ſociabilitas, quę in multis etiam eſt neceſſaria: ſimilem feritatem, & maiorem exercuit peſtis in illa loca, per quæ ad nos peregrinata eſt. Si ingenioſi diſcurrunt de quartis, & octauis infecti aeris, dicant quomodo hæ quartæ, & octauæ conſonent cũ Monaſterijs clauſis fæminarum, & hominum, in quæ non ingreſſa eſt peſtis, & finitimos pauperes vicos cratitè terra viuentium; quomodo hæc clauſtra hic aer, cum quartis non ingreſſus eſt ad diſſonantiam?

tiam ? narrentur hæc auribus Pythagoreorum armoniam cœlorum ſentientibus, vel populo in ecclipſis defixo, & vana mirranti.

Ad decimum. In hac peſte duo ſunt .ſ. gradus ſummus putredinis venenatæ, & cõmunicabilitas quæ cõſequitur ad poſſe. Quantum ad gradum ſummum, peſtilens ęque erat in primo, ut in vltimo. Litiget Gentilis, an vocanda ſit peſtis in primo quia forte non agnouit hanc quidditatem, & de nominibus non curo. Scio definitiones ex effectibus aliquando ſumi, & effectus extenſionem quandoq; poſſe impediri, vt in peſte actualis communicatio: potentia tamen, & communicabilitas viget in primo. Sic prima acceſſio quartanæ eſt febris quartana ex ſpecie proprij humoris à ſapienti Medico cognoſcenda; quamuis poſt primam inuaſionem poſſet iugulari, ne vlterius ad alterum terminum procederet. Sic Galenus irridebat Medicos, qui Cancros incipientes non norant 14. Met. & dicebat Galenus primo pror. Arbores, cum omnibus ſuis partibus abſolutæ ſunt, ſinguli cognoſcimus; cum verò enaſci incipiunt, à paucis, & niſi à peritis cognoſcuntur: nec arbor glandifera non habet glandes parua, ideo cum naſcitur non eſt cenſenda non glandifera. Cauſa vniuerſalitatis, & perennitatis deſumenda eſt à cælo in ſpeciebus eorumq; conſequentijs; non autem in illis quæ ſunt per accidens: fel in Vipera, humor nobis putredinoſus in Lepore marino manutenentur à cælo, quia conſequuntur ad proprias ſpecies. Benè dixit Auer. corruptionem eſſe de neceſſitate non ſic generationem, quia fundamentum totum corruptionis eſt in materia, & principium generationis à cælo: ideo corruptio in particulari huius floris impediri nequit; quia hęc eſt potentia eſſentialis in ipſo. Vniuerſale non eſt præter ſingularia, & ſi ſinguli bene valeant, omnes collectiuè valebunt. Peſtis in Germania, & alibi, ſi ſit bubonia difficillimè auſertur, ni docti ſuo periculo, illam ſtatim ſuffocent. Quod ſi ſit peſtis ex ſola putredine, non eſt tàm feraliter contagioſa.

Ad vndecimum. Auſter & venti non faciunt niſi per accidens: nec timeant Romani, dummodo ſortiantur fortunam propitiam in cuſtodia: & quamuis aliqui benè cuſtoditi, non euaſerint, fuit ex imperio fortunæ: nec frequenter ergo per hoc

non

non debemus nos non cuſtodire: nam aliquando, ex Euripide, Neq; eſt benè agentem, non agere malè: miſcent autẽ hæc Dij antrorſum retrorſum, tumultu concitato, ὡς ἀγνοίᾳ σέβωμεν αὐτούς, vt inſitia colamus eos.

Vltimum argumentum eſt penè paralogiſmus: ſi.n. demonſtratiue cõcludendum eſſet ſupponendũ foret hoc principium. Quod omnis morbus communis eſt ab aere; quod falſum eſſe vniuerſaliter huc vſque docuimus. Qui putant per vnguenta & per adhæſionem infecti corporis ad corpus poſſe communicari venena non peſtem, errant: quia peſtis nil aliud eſt, quàm venenum putredinoſum.

Reliqua Problemata.

PVtant aliqui res non infectas peſte poſſe inficere alias; Quia aiunt, fæminam poſſe obruere alios lue Gallica, nec ipſam eſſe infectam, & ſcimus bruta infeciſſe Dominos, nec ipſa mortua: ſed errant; quia & lues eſt in femina & peſtis in bruto quamuis effectus, & ſymptomata in illis non prodant ſua. Errant qui credunt aliquos rus fugientes, captos ibi peſte; quia dum ſtabant in vrbibus, natura erat peruigil ad expellendum, & pugnandum contra peſtem, & ruri ſopitam: ſed eſt fabula: quia natura nõ agit, cum hac cognitione, & fuit mala fortuna cuſtodiæ peioris ruri, quàm inter infectos. Putant alij ſpatium quadraginta dierum aſſignatum pro quarantena, ſufficere ad expurgandas res omnes: cum illud tempus ſit aſſignatum, vt ſingulo die ſint aliqui tractãtes ſuſpectas merces inſpiciendo an per tractantes inficiantur: tempus autem non expurgat, niſi mediante aere, & vento parietes, & tabulas. Aiunt alij peſtem nõ occidere niſi perueniat ad cor; perinde ac ſi non eſſent alia membra ad vitã neceſſaria, quæ venenis, & peſtibus non poſſent affici. Putant alij per multum ſpatium temporis poſſe geri in corpore viuo occultam peſtem nec manifeſtari; ſed falluntur; quia vehementia veneni peſtiferi irritans calorem natiuum ad expulſionem apparet, vt in pluribus inter ſpatium ſex, aut octo dierum. Quia poſt peſtem plura fiunt matrimonia, ſcribunt multi leuiter, poſt peſtem homines eſſe fecundiores.

In principio peſtilentiæ eruuntur antiquæ immunditiæ, & quiſquilliæ è domibus, & extra portam in agros tranſportātur, cum minus exhalarēt in ſuis antiquis locis, & aptiùs in flumen proijcerentur. Aliqui, vt audio, timentes aduentum peſtis, omnem vilem ſupellectilem pauperum igne combuſerūt, venit tamen peſtis; quia hoc non eſt proprium remedium huius peſtis, quæ non oritur ex immūditia, & æquè adhęret purpuræ regum, ac ruſtici ſago. Errant, qui pro certa liberatione à peſte meditātur Quarantenas vniuerſales, cum illud ſit ſimile remedio Gratiani in Comœdia, qui vt digitum ſanet, iubet amputandā manum: nō.n.ſcit populus, quàm ſæpè, & inutiliter tales Quarantenæ multis in vrbibus inſtitutæ fuerint. Quod ſi Bononiæ inſtituta fuiſſet, quando populus volebat ad principiū Octob. & Nouemb. ſalus, quæ ſecuta eſt ſine Quarantena, adſcripta fuiſſet Quarantenę ſumptuoſiſſimæ, alibi tunc fruſtra cæptæ.

Ad Lectorem Epilogus.

POteram ſcribere multos ſingulares euentus; ſed hi nil faciunt ad ſcientiam: potuiſſem enarrare multa ad praxim ſpectantia, & antidota, quæ pręcipuè hauſerā Mantuæ ex aula Sereniſs. qui his valdè delectabatur: ſed extant in his multa doctiſſimæ conſcripta: mei.n. inſtituti fuit incertam huius peſtis naturam per ſuas cauſas expiſcari: in facilioribus abundent alij. Errare quidem in re ardua potui, ideo melius Philoſophantibus me ſubmitto. Conſenſi vulgatæ per circumuicinas vrbes opinioni: peſtem hanc fuiſſe è contagio, cui venæ ſectio, vt plurimum obfuit, obfuerunt antidota calida, & quandoq; purgatio profuit, & antidota temperata, & cum nullum remedium præualuerit cognitum eſt, in ſola ſeparatione, & cuſtodia verùm huius peſtis ſtare ſecretum.

In hoc vigilauit Eminentiſs. ingenio, & Purpura Legatus Spada, qui dum reliqui fugerent, ſua præſentia peſtis impetum fregit, dum infectos cæterorum commercio curabat diligentiſſimè ſeparari. Huc intentus nouum in aperto campo condi iuſſit Lazaretum tali diſtinctione compactum, ne deportati infecti magis inficerentur, & ne infectionem contraherent nō in-

ſtea redit, ſed omnibus euerſis viribus, adeo iecur afficitur, vt ex conſenſu ventriculus motu euerſionis, nauſea, & cibi abominatione capiatur, quod vitium eſt iecoris, non ventriculi 1. in 3. de morbis vulgaribus: vnde ſæuiente fluctuatione; ardentibus icheribus, vna cum humoribus, dum ſpiritus extinguitur, vis animæ vitalis, & naturalis nullam quietem habent, ſed perpetuas patiuntur vigilias, dolores capitis, deliria, lethargi, ingruunt, abſceſſus crudus plerumquè vrget, inſurgit natura, quæ mauult ſub ſpe aliqua pugnare, quam inulta, & indefenſa prorſus periclitari, & vt cæcus in tenebris aliquid propellit materiæ efficitq; carbunculos, atq; bubones.

Itaq; Medicus in hunc morbi ſtatũ vocatus quid aget? conſiderabit, an citò expiraturus ſit æger, quod cognoſcet, non ex pulſu, quem tangere temerarium eſt: non ex vrina, quæ properante ad cor veneno, ſæpè fallax eſt: ſed ex facie immutata horribiliter, quæ rarò decipit, cæteriſq; ſymptomatibus auctis: ſi eadem die apparentiæ inuaſionis concipiat non periturũ ægrũ, poterit de agendis cogitare: non cogitet de lenienti, aut de expectanda humorum coctione, quia morbus grauis leuia non indicat: humores venenati è toto genere præter naturam non admittunt coctionem, nec expectãdus motus naturæ, quæ motus criticos non perficit, ſed materia turgens venenata è corpore eradicanda protinus, ne ad partes principes decumbat, & arcanum curationis eſt, illuc ducere, quo natura vergit.

Si vergat ad cutem, & maximè ſi æger ſit humidi temperamenti, raræ texturæ, &c. præſtabit vti ſudorifico. Ego aliquando cum fælicitate vſus ſum pulueribus Foreſti addita cãphora, quia ſimul roborant ad expulſionem, & cor defendunt: vtemur decocto cardui benedicti; vel decocto radicũ tormẽtillæ, dictami albi, graminis, pentaphili, & hoc erat ſecretum Medici mortui. vtuntur chimici ſpiritu nitri, auro tonitruante, antimonio diaphoretico, & milites puluere bombardico. Obſeruant multùm practicantes ſudorifica exhibita poſt ſectam venam non prodeſſe. Quatuor Barbitonſores venientes è regionibus Romæ in principio peſtis ſperabant omnes curare ſudorificis, & poſt ſudorifici exhibitionem ęgrum culcitris inuoluebant, & ſic ferè omnes magno cum æſtu peribant, ſed parum durauit hæc

fa-

ſabula, nam vnus ex ipſis citò peſte perijt, reliqui reuerſi ſunt in regiones ſuas.

Si expulſio naturæ ad vrinas vergat, vtimur diuretieis, acido limonum, & aranciorum, & citri, ſalibus fraxini, ſale prunellæ, ſpiritibus ſalis, &c. vſus ſum aliquando ſale prunellæ, cum natura vergeret ad vrinam; ſed patiente mortuo intellexi ab adſtantibus apparuiſſe carbonem ad verticem penis, vnde intellexi expulſionem vrinarum apparuiſſe per vergentiam materiæ ad illas partes, quæ cum expelli nō potuerit (erat.n. in ſanguine craſsiori infectio) erupit ſanguis in carbonem, & remedium obfuit, quia ſecum aliam duxit materiā, & fortè fuit alius carbo intus ad collum veſicæ, nam per viginti quatuor horas ſuppreſſa vrina mortuus eſt in ſeptima.

Vomitus non conuenit, niſi peſtis ingruat repleto vẽtre. tunc .n. vt alexipharmacum commodè ſumatur, vomitus cieri poteſt, cæterum non conuenit, quia venenum peſtilens ad partes ſpirituales attraheretur, & eſt periculum nauſeæ, quæ huic peſti fuit frequens, & ſignum mortis: excipio vomitum à ſtibio factum, quia, cum fuerit cum ſumma purgatione etiā per aluū, viſus eſt aliquando profuiſſe. Doctor Amaſæus quæſiuit à me in principio horum morborum, quid agendum. reſpondi per iocum, vt daret antimonium. ipſe perſcripſit, quia tales infirmos in Sauonella habebat; poſt aliquot dies volebat me ducere ad videndum quatuor ſanatos mediante antimonio. nolui videre; ſciebam .n. pluſquam vigintiquatuor mortuos, quia integræ familiæ ibi extinguebantur, & dixi an flores, an crocum præſcripſiſſet; reſpondit, neſcio: quod credidi, quia neſciebat quid flores à croco diſtarent; & tamen plebecula putabat hunc peſtis habere remedium, ſed tandem mortuus eſt peſte. crederem ego præſtare crocum, quia partes volatiles in floribus ſunt efficaciores ad vomitum.

De purgante per inferiora in principio, ſto à parte illorum, qui exhibent: cauendum à vehementiſsimis, vt ab euphorbio, à valdè ſcamoneatis, à præcipitatis, &c. vtor lenientibus aucta doſi, vel miſta triſera perſica, diacatholico, & etiam diaphenico, & ſimilibus: nec timendum à caliditate purgantis, ſi temperetur, nec timenda ſuperpurgatio, & colliquatio, quæ rarò accidit.

cidit.

cidit,& venenata qualitas eſt cum materia,quæ euacuata quandoq; ſubleuat. Hoc ſentit Auicennas, Auer. Septalius, alijq; abodemi,& experientia docuit in hac peſte profuiſſe tam æqualiter euacuantia, quàm electiuè purgantia. Quod ſi etiam ſæpè non profuerit fuit, quia infectio vel in tota humorum maſſa,vel in partibus ſolidis proceſſerat; vel natura totum non ſeparauit venenum, cuius relicta particula totam rurſus inficit maſſam ſanguinis,poteſt etiam validiſsimum purgans diſpergere venenum per corpus vſq; ad cor. hinc valida periculoſa, & leuia inefficacia. & Medicus vocatur vt agat: & multa experiēdo fiunt, quæ ſegnibus ardua videntur.

Apparente tumore ſectio venæ propinquioris ad tumorem profuit aliquibus; ita vt ſubito tumores euanuerūt, ſed vbi certum fuit eſſe peſtem parum progreſſam, nil periculoſius, ſi præſertim è brachio fieret, propter ſubitam virium concidentiam. Si corpori euchimo in principio adminiſtretur, fortè poterit prodeſſe. certum eſt de Doctore Cauacia in Lazaretum miſſo, quibus ſanguinem extraxit, extraxit verò omnibus ferè ex brachio,omnes ferè ad vnum perijſſe. ſed inter quinq; dies ipſe perijt cum ſua opinione, quam geſſerat, nec in febribus malignis aliud remedium eſſe præter venæ ſectionem, quam largè miniſtrabat, quia putabat has omnes febres eſſe ex interno aliquo tumore; cæterum palliabat curam aqua, in qua parum mercurij præcipitati ad album miſcebat.

Animaduerto non placere, quod Septalius obſeruat lib. 5. cautionum med. ſi anthrax enaſcebatur in dextro crure, euacuandum ſanguinem è ſiniſtro, ne maior moles materiæ ad locum affectum trahatur, & inflammatio maior, & intenſior dolor fiat. Quia ego maius periculum imminere video ex retroceſsione materiæ venenatæ, quàm ex inflammationis, & doloris augmento.

Interim non omittenda Alexipharmaca, & præſertim temperata, & quæ proprietate, & qualitatibus minus notis agere dicuntur, theriaca, & mitridatum frigidis, & acidis attēperanda, & fuit in hac peſte famoſum, quod legi de alijs ſimilibus, vt omnia calida nocuerint; caueant tamen,qui noua cōponunt, & volunt obſeruare regulam, vt media faciant inter naturam

veneni, & noſtram, quia ex minimo defectu in compoſitione plus poſſunt venenando, quàm curando. Sic vnguentum contra vnguenta propoſitum à Cardano cap. 14. lib. 3. de venenis, quod recipit cum oleis de Scorpionibus, & Hypericonis bubones viuos magnos tres verberatos virgis, & viperam cum ſeminibus rutæ, & ſcordij mihi videtur periculoſum, quia ad tantum venenorum apparatum, parum videntur ſuperſtare vnciæ tres ſeminum rutæ, & ſcordij, & ſemilibra oleorum. & fortaſſe ſimili vnguento quidam putantes propellere peſtem, ipſam multiplicabant. Huius farinæ eſt puluis, qui fit ex mixtione rerum cordialium, cum pulueribus factis è carbone extracto à corpore peſtilenti, & licet ſciam aliquos in cartulis ſeruaſſe, & impunè tetigiſſe carbones extractos induratos exſiccatos, ipſe tamẽ nec tangerem, nec puluerem ſumendum cenſeo, cum non deſint tutiora diuulgata.

Cætera præſidia medica in vſum ex indicationibus, varijſq; ſymptomatibus ducenda, & præſertim victus ratio, ex cuius attenuatione, ſi periculum eſt in alijs morbis, in peſte quidẽ maius, omnia .n. vireſq; ſtat in præcipiti: vnde ſequor doctrinam Auicennæ, & Raſis x. ad Almanſorem, vt ægri benè nutriantur, & (ſi ardor febris non prohibeat) vinum tenue aquoſum ſubadſtringens non prohibeatur; non .n. omnino deſperandum, & omnia metuenda, & quæ ſperabantur, non peracta ſunt; inſperatorum verò finem Deus inuenit. Vidi ruſticũ in medio campo ridentem glãdulam exortam ſibi infra inguina, & dicentem, quomodò poſſibile erit, vt hæc fabella me perimat (erat .n. robuſtiſſimus) tamen ingruente febre, operante veneno expirauit, cum familia tota, in qua 17. inter maſculos, & fœminas citò occubuerunt, & vix ſuperuiuit puellus, qui à lõgè cuſtos boum ſtabat; ſic illa fabula terminauit in tragediam. Noſco in vrbe iuuenem, cui in medio pectoris ſupra regionem cordis, magnus carbo inſtar fungi maximi exortus tandem extractus eſt, & ſuperuiuit: alij vndequaq; cum carbonibus ſuperuixere, alij cum minima puſtula in ignobiliori loco occubuere. Sexcenta poſſem inducere exempla ſigno naturæ validæ expellentis, & ſeparantis, aut fluxæ ſuccumbentis: non .n. ex præſtantia remedij aliquos euaſiſſe ſcio, quia vtebantur ferè omnes iiſdem Bezoar-

ticis, & emplaſtris, vt ex fumicibus, malua, axungia, & quod vnum remedium præſtabat, aliud etiam proportionatum præſtitiſſet. Sciet igitur poſteritas in noſtra peſte nullum inuentum ſpecificum certum (quod an dari poſſit dubito) quauis viuendi deſiderium cuilibet inſitum efficiat, vt incerta, pronis auribus excipiantur. Legi multos, & grauiorum, & leuiorum ſcriptorum libros, & audiui multorum placita. Quæ graues viri modeſtè de ſimilibus peſtilentijs ſcribunt, de cauſis, de differentijs tumorum, de remedijs, omnia eueniſſe comperi. Quæ vani ſcriptores prodigiosè narrant, & præter rationem largè promittunt, nugas eſſe cognoui, & veriſſimum monuit, Tacitus lib. 4.

Ne Diuulgata, atq; incredibilia auidè accepta veris, neq; in miraculum corruptis ante habeantur.

Solut. Argumentorum, & Problematum.

AD primum reſpondet Galedus; Quancunq; aeris alterationem non ſufficere ad cauſandam peſtem, alias ſingulo anno peſtes ſentiremus, cũ nullum inueniamus, qui exactè ſuos terminos ſeruet, & audio ſingulis annis, & præcipuè verè conqueri de inæqualitate, & eſt vetus cantio, nũc procedere tempora ab extremo ad extremum ſine medijs. Ad minorem. Certum eſt hyemem concatenantem finem anni 1629. cum principio anni 1630. fuiſſe temperatam; ſed illa temperies inducta fuit ab eiſdem ventis occidentalibus, qui frigidiorem huius anni ſtatum portarunt, nam frigidior hoc anno viſa eſt hiems flantibus ventis iiſdem, quia nix erat in terra, & hoc ab alijs obſeruatum eſt.

Ad ſecundũ reſpondetur nulli dubium eſſe, quin aer concurrat ad hanc peſtem duobus modis, primo, quia aer calefactus vere & æſtate eſt cauſa generationis putredinum, quibus repleta corpora facilius contagium recipiunt; ſic diſpoſitio calefactionis in cera efficit, vt figura facilius recipiatur, quam per nullam diſpoſitionem ſuam ſine ſigillo reciperet: pari modo ſine contagio illa putredo non euaderet in peſtem. Secundo modo dicitur aer concurrere ad peſtem æſtate, quia calor diſpergit vapores, & multum exhalare facit è corporibus peſtiferis, vnde

ſequi-

ſequitur plures inſici æſtate, quàm hieme: ſed neutro horum modorum aer eſt cauſa immediatè efficiens, & propria.

Tertium argumentũ benè probat ex locis prius infectis Mediolano, & Parma ad nos delatam peſtem, non per aerem, & ventos, ſed à rebus infectis. Et per illas vias primo apparuit, quàm in vrbe, vt in illo mulione ad Caſtrum Francum veniente Parma, & alijs ruſticis ibi primo pereuntibus. Vapores autem ex aquis, & vallibus auctis plus debuiſſent nocere Ferrariæ, quã Bononiæ, quia valles ſunt ſitæ ad Auſtrum reſpectu Ferrariæ, & venti auſtrales ſuper Ferrariam hos vapores portãt, qui Bononiam deferuntur ab aquilonaribus. Immo ad Dianamtinam Ferrariæ, vt ſcribunt, moriebantur boues non peſte, ſed ob paſcua putrefacta ab inundationibus Padi annis antecedentibus.

Ad quartum, quicquid ſit de influxibus cœlorum in alijs rebus, certè fuerunt mali influxus pro Medicis, & Chirurgis, qui pro media parte perierunt, & boni pro ijs, qui à longè ſteterũt. Si ſupputemus eclipſes per centum annos, quibus hìc non fuit peſtis, certè aliquas peiores, & magis peſtiferas inueniemus, quam ſupputatas pro hac peſte. Morbi autem, quantũ ad ſuas periodos regũtur à cauſis ſuperioribus. V.G. aliqui hauſto ſpiritu peſtifero poterant ſtatim inſici, ſed occultari impetus apparentiæ morbi, vſq; ad aliquod tempus, vt faciunt multi morbi, in quibus morborum apparatus ſecundum ſuperiores influxus citius, aut tardius deteguntur, & per motus ſuperiores terminantur, non tamen ſequitur peſtem hanc potuiſſe ſine contagio aliquo ſpontè produci.

Ad quintũ reſpondetur. Eſto naturam progreſſam annis antecedentibus ad ſummam putredinem, & apparuiſſe carbones, non tamen ſola putredo eſt, quæ creet peſtes bubonias, vt probatum eſt, quia vix natura in vno ex multis millibus millium procedet ſpontè ad vnionem veneni, cum ſumma putredine. Et ſi hoc anno obſeruati ſunt in aliquibus tumores ſine peſte, fuit, non quia præteritis annis tales non apparerent, ſed quia hoc anno quodlibet, vel minimum diligentiſſimè obſeruabatur. Febres tertianas ego curaui intermittẽtes, & ſubintrantes: rariores fuerunt febres malignæ hac æſtate, quia quilibet diligẽter ſe cuſtodiebat in victus regula, è cuius inobſeruatione putre-

 dines

dinea malignarum febrium naſcuntur. Vehementer dubito ne aliqui cum febribus malignis hac tempeſtate, vel derelicti, & mortui fuerint, vel miſsi ad Lazareta, quos ibi neceſſario poſtea peſtis ſubſequebatur. In principio peſtis febres malignæ curandæ erant in Xenodochijs publicis, quas obſeruaui, cum poſtea non reciperentur ægri valdè febricites ob ſuſpectū peſtis, omnia maligna reputabantur peſtifera: Nec mirentur Iuniores, quia nil difficilius deprehendi in materia de peſte, quàm diſtinguere in principio febrem peſtilentē à non peſtilenti. Videte quid ſentiat Summus Medicus Maſſarias lib. 2. de peſte, qui tempore ceſſantis peſtis iudicauit in cura Vſulæ valdè cum delirio febricitantis, cum exanthematibus, & Fornareti cū bubonibus, non eſſe peſtem. Et poſtea populus ſibi perſuadet quemlibet togatum aſinum poſſe cenſere de peſte.

Ad ſextum. Particularia loca Bononiæ infecta ſunt, vbi pauperes primo in Sauonella, & mulieres, quæ linteamina primorū infectorū lauerunt, poſtea per alios vicinos diuulgata eſt, nam pauperes, ſi fame mori nolunt, coguntur per domos aliorum ſeruitio ſe miſcere, tum quia in principio parum credebatur contagio: Inſuper pauperes, vt plurimum malè nutriti corpora impura ad facile recipiendum contagium gerunt (obſeruatum tamen eſt viros, & fæminas penè marcidos, quamuis tales ægros tractauerint, nuſquam peſtem contraxiſſe:) Aer etiam Bononienſis defenſus ab Auſtro, & expoſitus ad Aquilonem non mihi videtur tam inſalubris, vt Cardanus cenſet, nam craſſior multo eſt aer Ferrariæ: ſolum bituminoſum quamuis quæſierim, nuſquam inueni, & ſi inueniretur ſulphureum aluminoſum, & bituminoſum, crederem ſtare contra peſtem.

Ad ſeptimum. Si Hippocrates in Prognoſticis admonuit Medicos, vt prouidentiæ operam darent, & particulatim animaduerterent, ſi quid in morbis diuinum ineſt; vel hoc diuinum eſt aliquid dependens à variationibus ambientis nos aeris ex Galeno, & hanc variationem Medicus ad prædicendos, & curādos morbos cognoſcat oportet; vel hoc diuinum eſt aliquod occultum in morborum cauſis, vt ratio dierum Criticorum, cur bilis de tertio in tertium, melancolia de quarto in quartum accedatur, & hoc etiam diuinum diuinare ſpectat ad Medicum.

In multis morbis, & epidemijs ſunt influxus; ſed influxus noſtræ peſtis fuit mala fortuna incidendi in contagium, quod qui fugerunt, deriſerunt influxus. Diuinum etiam ad arcana diuinitatis, & ad altitudinem diuitiarum ſcientiæ, & ſapientiæ Dei ſpectat: ſed de hoc agere non ſpectat ad Medicum: quia Deus, vt principium ſupernaturale potuit permiſiſſe, vt multi optimè cuſtoditi in aliquo puncto inciderent in contagium, vt in infectum tunc maximè exhalans, & malè cuſtoditi non inciderent: at phyſicè loquendo dicimus, hoc fortuna fieri, quia rarò fit. Sic qui inter multas bellorum ſtrages inter fulminatas igne pilas ſemper euaſit, dicimus fortunatum; qui autem per viam tranſiens muro cadente obruitur vocamus infortunatum: ſi autem omnia per accidens in ſuas cauſas reuocemus, tam neceſſe eſt inter bella non ictum ſeruari, quàm in via muro cadente obrutum mori. Fortunati ſunt qui ſe male coſtodiendo non inciderunt in peſtem: fortunatiores qui peſtem cõtrectando euaſerunt, & qui peſte correpti ſeruati ſunt: non autem infortunatos vocamus, qui ſe miſcentes, cum infectis euanuerũt hoc.n. fuit, vt plurimum. In pauperibus per viam morientibus ſæpe conſpiciebantur bubones. Simplex hauſtus aeris ab infecto reſpirati, vel cum illis vaporibus intra cubiculum concluſi eſt efficax cauſare peſtem; non tamen hoc aer per ſe, & vniuerſaliter agit. Vapor peſtifer in aliquibus pannis aliquando tempore euaneſcit, aliquando, vt in laneis, diù durat, & ſola expurgatione eruitur; ſic infectorum veſtimenta aliquando innoxia, aliquando noxia fuerunt. Contagium ſi de panno in pannum tranſiret, tandem vires perderet ſuas: ſed incidẽs in hominem, ibi venenum fermentatur, & vires colligit. Si contagium procederet merè naturaliter vt ignis, proximũ inficeret proximũ: ſed contagium defertur ab hominibus, & rebus de vna regione in aliam de vna domo in aliam non tactis medijs. Si Ferraria ſeruata eſt, laudet cuſtodiam, non aerem; quia nec humiditas aeris ibi eſt præſtantior, quã Bononiæ, nec frigiditas. Auicennæ Auct. intelligẽda eſt de peſte ab aere ſicco, & calido excedente.

Ad octauum. Reſpondetur. Tam in principio, quam in fine hanc peſtem pari tenore extitiſſe crudelem; patuit per integras familias extinctas, tàm in principio, quàm in fine. Numerus

mortuorum præciſus ex peſte ſciri nequit : ideo datur locus o-
tioſis litigandi ad nauſeam de numero: qui dicunt paucos, narrant in vrbe de duodecim millibus, qui multos de quindecim ; ſi aliquis certum ſciret, & vellet dicere nec gratias agerem. Aliqui rationabiliter diſcurrentes arbitrantur, ex centum infectis, vix decem ſeruatos; ex centum tractantibus infecta, nec ſeruatos decem. Scimus certè inter Menſem Maij, & Septembris 24. Medicos verè infirmatos peſte, & vnum ſeruatum. Mortui ſunt ad Lazaretum magnum Doct. Fauarus, Cauaza, Rubinus, Diola, Muſatenus. Extra Lazaretum Caualiſna, Facinus, Galuanus, Blanchus, Muratorius, Semenus, Lodus, Bompellus, Bonaſonius, Cianus, Saccus, Dulcius, Panella, Faber, Rubianus, Amaſeus. Ad Lazaretum Caſtri Franci, Zambonus, & ad Roncaſtaldum Panzachius. Hos omnes noram Doctores: omitto aſsiſtentes, & licentiatos, & quos non noram: ſolus captus peſte ſuperuixit D. Lanzonus. Si contagium in fine non creuit, fuit ex ſubtractione materiæ per cuſtodiam: ſic ignis ceſſat ſubtracto, & remoto pabulo, non quia in fine ex ſua natura eaſdem vires non haberet.

Ad nonum. Peſtis hęc apparuit mitis, ob ſuperiorum diligentiam in ſeparando, ob ciuium charitatem, & curam, ob vrbis opulentiam, quæ (mirum dictu) nil ferè incommodi per tot Menſes interdicto commercio paſſa eſt: ſed non fuit mitis in illos, quos inuaſit; ex ſe .n. ſufficiens erat perdere ex decem partibus hominum, nouem, ni contagio cautum foret, & hoc demonſtrant mortes Medicorum. Equidem ex me minus timebam à peſte, quàm à reliquis morbis, quia credebam in me peſtem non erupturam, ni aliunde procederet: ſed vehementer timui, ne communicaretur ab illis, vnde minus cauerem: militat .n. peſtis contra proprietatem hominis, quę eſt ſociabilitas, quę in multis etiam eſt neceſſaria: ſimilem feritatem, & maiorem exercuit peſtis in illa loca, per quæ ad nos peregrinata eſt. Si ingenioſi diſcurrunt de quartis, & octauis infecti aeris, dicant quomodo hæ quartæ, & octauæ conſonent cũ Monaſterijs clauſis fæminarum, & hominum, in quæ non ingreſſa eſt peſtis, & ſinitimos pauperes vicos eraſit è terra viuentium; quomodo hæc clauſtra hic aer, cum quartis non ingreſſus eſt ad diſſonantiam?

Digitized by Google

tiam? narrentur hæc auribus: Pythagoreorum armoniam cœlorum ſentientibus, vel populo in ecclipſis deſiro, & vana miranti.

Ad decimum. In hac peſte duo ſunt .ſ. gradus ſummus putredinis venenatæ, & cõmunicabilitas quæ cõſequitur ad poſſe. Quantum ad gradum ſummum, peſtilens æquè erat in primo, ac in vltimo. Litiget Gentilis, an vocanda ſit peſtis in primo, quia forte non agnouit hanc quidditatem, & de nominibus non curo. Scio definitiones ex effectibus aliquando ſumi, & effectus extenſionem quandoq; poſſe impediri, vt in peſte actualis communicatio: potentia tamen, & communicabilitas viget in primo. Sic prima acceſſio quartanæ eſt febris quartana ex ſpecie proprij humoris à ſapienti Medico cognoſcenda; quamuis poſt primam inuaſionem poſſet iugulari, ne vlteriùs ad alterum terminum procederet. Sic Galenus irridebat Medicos, qui Cancros incipientes non norant 14. Met. & dicebat Galenus primo pror. Arbores, cum omnibus ſuis partibus abſolutæ ſunt, ſinguli cognoſcimus; cum verò enaſci incipiunt, à paucis, & niſi à peritis cognoſcuntur: nec arbor glandifera non habet glandes parua, ideo cùm naſcitur non eſt cenſenda non glandifera. Cauſa vniuerſalitatis, & perennitatis deſumenda eſt à cælo in ſpeciebus eorumq; conſequentijs; non autem in illis quæ ſunt per accidens: fel in Vipera, humor nobis putredinoſus in Lepore marino manutenentur à cælo, quia conſequuntur ad proprias ſpecies. Bene dixit Auer. corruptionem eſſe de neceſſitate non ſic generationem, quia fundamentum totum corruptionis eſt in materia, & principium generationis à cælo: ideo corruptio in particulari huius floris impediri nequit; quia hæc eſt potentia eſſentialis in ipſo. Vniuerſale non eſt præter ſingularia, & ſi ſinguli bene valeant, omnes collectiuè valebunt. Peſtis in Germania, & alibi, ſi ſit bubonia difficillimè aufertur, ni docti ſuo periculo, illam ſtatim ſuffocent. Quod ſi ſit peſtis ex ſola putredine, non eſt tam feraliter contagioſa.

Ad vndecimum. Auſter & venti non faciunt niſi per accidens: nec timeant Romani, dummodo ſortiantur fortunam propitiam in cuſtodia: & quamuis aliqui benè cuſtoditi, non euaſerint, fuit ex imperio fortunæ nec frequenter ergo per hoc

In principio peſtilentiæ eruuntur antiquæ immunditiæ, & quiſquiliæ è domibus, & extra portam in agros tranſportatur, cum minus exhalaret in ſuis antiquis locis; & aptiùs in flumen proijcerentur. Aliqui, vt audio, timentes aduentum peſtis, omnem vilem ſupellectilem pauperum igne combuſſerũt, venit tamen peſtis; quia hoc non eſt proprium remedium huius peſtis, quæ non oritur ex immũditia, & æquè adhęret purpuræ regum, ac ruſtici ſago. Errant, qui pro certa liberatione à peſte meditãtur Quarantenas vniuerſales, cum illud ſit ſimile remedio Gratiani in Comœdia, qui vt digitum ſanet, iubet amputandã manum: nõ.n.ſcit populus, quàm ſæpè, & inutiliter tales Quarantenæ multis in vrbibus inſtitutæ fuerint. Quod ſi Bononiæ inſtituta fuiſſet, quando populus volebat ad principiũ Octob. & Nouemb. ſalus, quæ ſecuta eſt ſine Quarantena, adſcripta fuiſſet Quarantenę ſumptuoſiſſimæ, alibi tunc fruſtra cæptæ.

Ad Lectorem Epilogus.

POteram ſcribere multos ſingulares euentus; ſed hi nil faciunt ad ſcientiam: potuiſſem enarrare multa ad praxim ſpectantia, & antidota, quæ pręcipuè hauſerã Mantuæ ex aula Sereniſs. qui his valdè delectabatur: ſed extant in his multa doctiſſimæ conſcripta: mei.n. inſtituti fuit incertam huius peſtis naturam per ſuas cauſas expiſcari: in facilioribus abundent alij. Errare quidem in te ardua potui, ideo meliùs Philoſophantibus me ſubmitto. Conſenſi vulgatæ per circumuicinas vrbes opinioni: peſtem hanc fuiſſe è contagio, cui venæ ſectio, vt plurimum obfuit, obfuerunt antidota calida, & quandoq; purgatio profuit, & antidota temperata, & cum nullum remedium præualuerit cognitum eſt, in ſola ſeparatione, & cuſtodia verũ huius peſtis ſtare ſecretum.

In hoc vigilauit Eminentiſs. ingenio, & Purpura Legatus Spada, qui dum reliqui fugerent, ſua præſentia peſtis impetum fregit, dum infectos cæterorum commercio curabat diligentiſſimè ſeparari. Huc intentus nouum in aperto campo condi iuſſit Lazaretum tali diſtinctione compactum, ne deportati infecti magis inficerentur, & ne infectionem contraherent nõ in-

fecti

ſctti, in quo Medici, Chirurgi, & Miniſtri ſua opera ſine periculo poſſent agere.

Senſit quidē tanti beneficij pondus Bononia, quæ vt ſe tanto Protectori ſaltem non ingratam oſtenderet, Ampliſſimam Spadæ Domum ſuo ſinu amabiliter complexa, eius glorioſos partus inter ſuos ciues optauit, celebratis nuperrimè regia pompa ſponſalibus Illuſtriſs. Nepotis, cum Illuſtriſs. Elephantutia: Vt tandem, quæ ſeruata ciuitas Cardinalem Spadam verè ſuū prædicat Liberatorem; veriùs etiam eundem ſuis faſtis poſſit inſcribere PATRIÆ PATREM.

F I N I S.

Digitized by Google

INDEX.

Proœmium. pag. 5
Propoſitio dicendorum. 6
Tria dicta vana de Peſte. 7
De Eſſentia Peſtis in communi. 8
Dubitationes de Peſte in genere. 9
Obſeruatio de hac Peſte incipiente. 10
De loco bubonum peſtilent. 11
Argumenta indicantia Peſtem ab aere. 13
De quattuor Peſtis generibus. 20
Primum genus Peſtis ab aere. 21
Secundum ab aere, cum vaporibus peſtiferis. 23
Tertium genus Peſtis, febris cum bubonibus. 27
Alt tempore peſidentes ſine ſebre. ibid.
An ſufficiat putredo ſine veneno. 28
Rationes pro putredine. 29
Pro veneno. 30
Dubitationes circa vtrumq; 32
Principia ſuppoſita de putredine, & veneno. 35
Cauſa facilis communicationis veneni, & putredinis. 37
Cauſa attractionis veneni ab homine. 39
Concluditur hanc Peſtem eſſe verè ex putredine, & ex veneno. 40
Quartum genus Peſtis ex cibis. 43
Quod Peſtis Bononiæ fuerit è tertio genere, .ſ. peſtis bubon. 45
Quod fuerit per Contagium propagata, & de Contagio. 48
De Methodo medendi. 51
De præſeruatione an purgatio, an alteratio. 52
De Alexipharmacis. 55
De remedijs Chimicis, an per Mercur. an per ſulph. an per ſal. 57
De Curatione. 59
Obſeruat. de varijs inuaſionibus. 60
De varijs euacuant. indicat. 62
De vſu experto variorum remediorum. 63
Argum. & Problem. ſolut. 66. ad finem.

Vidit Io. Maria Camogius è Societ. Ieſu pro Eminentiſs. & Reuerendiſs. Card. Archiepiſc.

Imprimatur.

Fr. Hieronymus Onuphrius Doctor Collegiatus, Lector publicus, & Sanctiſs. Inquiſitionis Conſultor, pro Reuerendiſs. P. Inquiſit. Bonon.

Digitized by Google